



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK  
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

---

53. Z. 82

Nicht ausheben!  
Umsignieren auf  
MF 2190

53.7.82.



ALEXANDRI GOTTLIEB  
BAVMGARTEN

PROFESSOR PHILOSOPHIAE

I V S  
NATVRAE.



HALAE MAGDEBVRGICAE,  
IMPENSIS CARL. HERM. HEMMERDE,

1763.

WILHELM I. KÖNIG VON PREUSSEN


BEI SEINER MAJESTÄT

IN WASHINGTON

1871

VERLAG VON ...





# PROLEGOMENA.

§. I. ad K. §. 286. n. I.



**I**US NATURAE (rationis, ethicum, cogens, strictius, strictissime dictum) est scientia legum hominem externe obligantium in statu naturali. cf. Initia philosoph. practic. prim. §. 65.

§. 2. ad K. §. 286. n. 2.

Philosophia practica scientia obligationum humanarum, quatenus sine fide cognosci possunt; suum hoc commodum jam dudum nomen nacta nobis in posterum non erit ius naturae. §. I. init. philos. pract. pr. §. 1, 65.

A

§. 3.



## PROLEGOMENA.

### §. 3. ad K. §. 286. n. 3.

Philosophia practica vniuersalis reliquarum practicarum disciplinarum principia propria prima, hinc earum pluribus communia, continens, iuris etiam naturae principia prima continet, cui hinc cum ratione praemittitur. §. 1. init. phil. pract. pr. §. 6, 8.

### §. 4. ad K. §. 286. n. 4.

Ius naturae prodest inter alia

- 1) ad animam legum particularium, e. g. ciuilium, demonstrandam ulterius;
- 2) ad controuersias iuris inter eos motas, quibus lex scripta non est, decidendas;
- 3) ad necessariam notitiam iuris apud eos, qui particularia curatius nosse non tenentur;
- 4) ad ius sociale et politicum;
- 5) ad terminos iuris et aequitatis etiam in communi vita distinguendos;
- 6) ad decisionem iuris controuersi et supplementa particularis;
- 7) ad tuendam libertatem rationis naturalem contra legulegorum, etiam naturalium, ignorantiam et fraudem

dem "rabularum eiusmodi ; init. phil. pract. prim. §. 78, 171.

- 8) ad infimum virtutis gradum apud eos saltem obtinendum, qui rationem ad superiores euocantem audire nolint.

§. 5. ad K. §. 286. n. 5.

Distingue principia ius naturae cognoscendi ab eiusdem tractandi subsidiis, e. g. Poetis, Historicis, Oratoribus, Iuris Consultis Romanis etc. §. 1. init. phil. p. prim. §. 79.

Horum confusio male tornatum dedit ius naturae secundum disciplinam hebraeorum et pia desideria iuris eiusmodi secundum disciplinam christianorum, etc.

§. 6. ad K. §. 287.

Huc quaestiones de I. N. Athei


- 1) an daretur ius naturae, si non daretur Deus? Negatur.
- 2) An Atheus excepto atheismi errore sanam rationem sequens potest conuinci de iure naturae? Et affirmatur.
- 3) An ius naturae aequè bene ab atheo cognosci potest, ac ab admittente

A 2

rente

tente theologiam naturalem? Et negatur. §. I. P. P. p. §. 71.

Si methodum per omne ius naturae tractandum abstrahentem ab ipsa theologia naturali dicamus *empiricam*, ex theologia naturali, tanquam conditione, sine qua non, totum ius naturae deducentem *theologicam*, illam autem *mixtam* dicamus vel *empiricotheologicam*, quae multa vel ab ipsa theologia naturali, si possunt, independenter demonstrat, eandem tamen in aliis vtiliter supponit. Haec vltima methodus vtriusque commoda prioris coniungit, naturalem rationem magis exercet, cognitionisque naturalis simul ac rationalis profert pmoeria, vel hinc prioribus praeferenda.



CAPVT PRIMVM  
AD QVAE OBLIGAMVR.  
SECT. I.  
DETERMINATIONES LIBERAE.

§. 7. ad K. §. 300.

OBLIGATIO est connexio caussarum impulsuarum potiorum cum liberis determinationibus. P. P. p. §. 15. CONNEXIO autem hic est PROPRIE actio, qua dictus

dictus nexus actuatur, (producitur vel conseruatur,) IMPROPRIE tantum et cathrestice actio, qua nexus eiusmodi iam ortus aliunde significatur tantum et indicatur.

§. 8. ad K. §. 302. n. 1.

Quo plures, quo maiores, quo verius, clarius, certius, ardentius, repraesentatae causae impulsivae, quo pluribus, quo maioribus cum liberis determinationibus connectuntur, quoque magis vincunt elateres ad oppositum, hoc maior est obligatio. P. P. p. §. 17. Hinc metire per solos instinctus naturales, etiamsi veros, agnitam obligationem in ratione ad eam, quae veris instinctibus aliisue stimulis, naturalia non minus motiua iungit. Metaph. §. 677. 690.

§. 9. ad K. §. 302. n. 2.

Partialis, immo totalis etiam causa impulsiva, si minor fuerit obligante ad oppositum, obligationem nullam parit. P. P. p. §. 19. Hinc ad scelus, quod aliquid boni habet, ne partialis quidem est obligatio.

§. 10. ad K. §. 303.

Causae impulsivae, certae certam, incertae incertam, probabiles probabilem.

## 6 C. I. S. I. DETERMINAT. LIBERAE:

dubiae dubiam, improbabilis improbabilem obligationem vel partialem vel totalem reddunt. P. P. p. §. 28. In incertis etiam nunquam probabilismus locum habet, §. 9. Acroas. logic. §. 424.

### §. II. ad K. §. 306.

Ea, ad quae obligamur, sunt determinationes liberae. §. 7. Quicquid ergo non est determinatio libera, ad illud non obligamur, Acroas. logic. §. 202, 312. In et per se impossibile non est determinatio libera, ergo ad in et per se impossibilia non obligamur. P. P. p. §. II.

#### Obligatur fundus

*Fur I, cui aeque fundus est, nec arca?*

Obligaremur ad amorem summum iniuste damnantis? ad attentionem in plura dirigendam sine vlla distractione animi? ad fugiendam omnem ignorantiam?

### §. 12. ad K. §. 309.

Determinationes liberae sunt naturaliter in potestate nostra positae, simpliciter saltim. Quidquid ergo non est naturaliter in nostra potestate positum ne simpliciter quidem, seu nobis, ne simpliciter quidem, physice possibile, illud non est determinatio nostra libera, ergo ad illud nec obligamur. P. P. p. §. II.

E.g.

E. g. Obligamur, omnia distincte cognoscere? omnia definire, de quibus loquimur? nullis stimulis ferri? nihil agere sine praeula deliberatione? hodie Carthagini spondes?

§. 13. ad K. §. 310.

Quae sunt liberae nostrae determinationes, ad eas possumus obligari §. 7. motus autem corporis nostri voluntarii sunt liberae nostrae determinationes: Metaph. §. 733, 721. Ergo ad motus corporis voluntarios possumus obligari, possumus ad omnes arbitrarios, qui regimini animae in corpus vel per indirectum subsunt: Metaph. §. 733, 731.

§. 14. ad K. §. 311. n. 1.

Quae non sunt determinationes nostrae liberae ratione executionis, ad eas non obligamur; §. 7. Metaph. §. 719, 708. Atqui actiones mere naturales non sunt liberae ratione executionis: ergo ad eas non obligamur. Metaph. §. 708.

§. 15. ad K. §. 311. n. 2.

Instinctus naturales etiam dicti, voluptas, taedium, appetitus, aversatio, affectus, quae mere naturalia non sunt, sed libera ratione executionis, etiamsi non fuerint indifferentia physice, Met. §. 708. si vel per indirectum animae subsint imperio

## § C. I. S. I. DETERMINAT. LIBERAE.

in semet ipsam, simul tamen determinationes nostrae liberae Met. §. 731. non omnis obligationis incapaces. §. 7.

### §. 16. ad K. §. 312.

In cuius potestate sunt naturaliter determinationes liberae, ille gaudet intellectu et uoluntate Met. §. 719. 690. Atqui in omnis obligandi potestate naturaliter sunt liberae determinationes. §. 12. Ergo obligandus gaudet intellectu et uoluntate. Quoque minor intellectus Met. §. 649. et rationis, hinc et uoluntatis, usus et cultura Met. §. 646. et in dato obligando, hoc, caeteris paribus, minor: quod dictus usus et cultura maior est in aliquo, hoc, caeteris paribus, maior in eum cadit obligatio. §. 8. Bruta non obligantur. Mente captorum aut nulla, aut admodum parua, caeteris paribus, est obligatio, sicut infantium, naturaliter minorennium et simplicium significatu malo. M. §. 639.

### §. 17. ad K. §. 313.

Quicquid nec in se, nec hypothetice admodum contingens est, non est libera determinatio nostra M. §. 719, 703. Tales autem sunt ea omnia, ad quae obligamur. §. 7. Ergo quae ne in se quidem, nec hypothetice admodum contingentia sunt, ad ea non obligamur.

Ex

Ex hac veritate vetus error est inferentium moralia non demonstrari, quum tamen inde nihil amplius sequatur, quam veritas, neque ea quidem inutilis: Facta humana, vel facienda moralia singularia, non demonstrantur pure à priori Log. §. 516, 515. Uniuersalium moralium eadem est, ac non moralium, demonstrabilitas. Nec singularia nostra non moralia non magis patent à priori tantum demonstraturis, ac moralia. Log. §. 498.

## §. 18. ad K. §. 314.

SIGNIFICATU LATIORI SPES est  
praesagium boni, mali METUS.

*Sic animos soli spesque metusque regunt.*

Et falsa profecto regula est: iucunda vita, molesta quaere! Quaeenam illa notior est obligatione, quae per *spem* vitae, per *metum* aeternae damnationis ad primum et summum virtutis gradum inuitat?

## §. 19. ad K. §. 316.

Determinationes liberae sunt spontaneae M. §. 713, 704. liberae a necessitate et coactione interna absoluta et physica, M. §. 710. et externa simpliciter tali. M. §. 707. Ergo, ad quae obligamur, sunt spontanea et libera a necessitatibus supra memoratis, §. 7. moraliter autem necessaria vel iam sunt, vel fiunt inducta noua demum obligatione. M. §. 723. P. P. p. §. 13, 21.

A 5

§. 20.



## §. 20. ad K. §. 317.

Auctor est causa liberae actionis. M. §. 940. Hinc vel efficiens, vel deficiens, M. §. 319, vel commissionis vel omissionis. P. P. p. §. 31.

## §. 21. ad K. §. 319.

Si nosmet ipsos arbitrario obligamus, est etiam tunc natura obligandi proxima ratio sufficiens cognoscendae obligationis, si naturale supponatur arbitrium, quo nos obligamus; M. §. 712, 755. Ita, ut vel hinc pateat, non omnem obligationem positivam 1) requirere superioris extra obligandum positi arbitrium, ut rationem sufficientem proximam. 2) nullo vero significato simul esse naturalem. P. P. p. §. 29, 30.

## §. 22. ad K. §. 323.

Nulla determinatio libera, nullum eius corollarium est sine corollario. P. P. p. §. 32. Hinc singulis nostris liberis determinationibus omnem nostram sequuturam vitam beatam, vno saltem ex momento P. P. p. §. 128, vna saltem ex parte circumstantiarum faciliorem, vel difficiliorem reddimus. Hinc prudens esto consequentarius practicus, licet non logicus.

L. §.

L. §. 579. Non de sola infidelitate verum est :

*Vntreu schlägt ibren eigenen Herrn.*

Hæc Koeleri paragraphus occasionem mihi dedit stabiliendi principii, quod dixi rationati, M. §. 23.

§. 23. ad K. §. 327. n. I.

In quaestione de moralitate actionum obiectiva, earumque perfectitate ante voluntatem Dei

I. non quaeritur

- 1) an sint actiones extra omnem nexum bonae, vel malae? quod negatur.
- 2) An moralitas in solo intellectu sit, quasi ens rationis? quod negatur.
- 3) An existentia moralitatis in actionibus possit philosophice plene cognosci sine notata voluntate Dei? quod negatur.

II. Sed, an ex internis actionis alicuius in se spectatae et natura agentis possit intelligi, quamnam actuanda sit habitura relationem ad perfectionem? et affirmatur. P. P. p. §. 36. 37.

§. 24.

## §. 24. ad K. §. 327. n. 2.

Moralitas subiectiua sumitur vel exclusiue, ut ea posita neganda sit obiectiua: quae negatur, §. 23; vel ita, ut negetur cognosci posse obiectiuam, nisi per subiectiuam; et hoc concedi, nisi particulariter, non potest §. 23; vel cum obiectiua coniungitur, et tunc affirmatur. P. P. p. §. 38.

Archelaus statuit, *Δικαιον ειναι και το αισχρον ου Φυσει, αλλα νομω.* Veritas contradicit, non inuertendo: *ου νομω, αλλα Φυσει*, sed coniungendo: *Φυτει και νομω* (positiuo). Si moralitas tantum subiectiua esset, non toties scriptura sacra, sapientesque principes legibus suis rationes ex internis iubendorum petitas adderent.

## §. 25. ad K. §. 327. n. 3.

Omnes actiones finitorum sunt partim bonae, partim malae; hinc et liberae. Sed nunquam singulares omnino tantum bonae, quantum malae. Vnde a potiori fit denominatio. M. §. 790.

In omni quaestione circa adiaphora, siue spectentur, ut neque bona, neque mala, siue referantur eo. simul aequae bona, ac mala, morales tamen et liberae determinaciones, quicquid sit de abstractis notionibus, in concreto tamen determinatissimo, singulares eius modi

modi determinationes et facta quorundam non dantur, non existunt unquam, ne fingantur cum vere malorum exculpatione, vel vere bonorum extenuatione neutiquam indifferenti.

§. 26. ad K. §. 328.

Principium principii (essentialiter subordinati) est principium principiati. M. §. 307, 317. Deus est principium naturae actionis et agentis. M. §. 875, 926. Ergo et illius, quod ex his cognoscitur, Juris Naturae, quatenus vtriusque tantum realitates attenduntur, §. 36. P. P. p. §. 100.

Quantumcunque supponatur ius naturae, quicquid in eodem est boni, non dependet solum ab intellectu Dei, sicut omnia vera, sed etiam ab eiusdem voluntate, nec ab eiusdem voluntate solum, sed etiam decreto naturam agentis et actionis et permissionem limitum in iisdem actuante.

§. 27. ad K. §. 329.

Actuatur quorundam corollariorum cum liberis determinationibus, §. 22. neque per naturam actionis et agentis etiam, non solum significatur. §. 7. Honestum et turpe per se est propter internas suas determinationes honore vel vituperio dignum, siue hoc de illo iudicaverint

verint homines aliqui, siue minus. P. P. p.  
 §. 94. Nolim tamen cum Chrysoſtomo  
 dicere: *Εαν υπω Φουτω, δεον λεγω.*

§. 28. ad K. §. 333.

Obiectio. Ergo et ad peccatum minus  
 maiori praeferendum obligaret natura,  
 immo Deus? Resp. si plene obligeris ad  
 electionem inter duo alias peccata, minus  
 non est peccatum. P. P. p. §. 40.

Probe notetur hypothesis, qua cessante Deus  
 et natura nos obligant ad nunquam facien-  
 da mala, ut inde eueniant bona. Rom. III. 8.

§. 29. ad K. §. 339.

REMEDIIUM MITIUS est minus malum  
 physicum.

Tale quum, caeteris paribus, sit etiam minus  
 malum sensus, quod minus acerbè sentitur,  
 ac alia, minus triste phaenomenon; magna  
 politices pars est ars talia durioribus praefer-  
 rendi, palladiumque stratagematum, quando:

*Bella vel insidiis, vel Marte gerantur  
 aperto.*

§. 30. ad K. §. 340.

Fac ea, etc. Breuius: perfice te, quan-  
 tum potes. P. P. p. §. 43.

Nouum dictum putas? Vetus credidi, Matth. V,  
 48. Nouaturire tamen nescio quid videbatur  
 etiam Theologo christiano, et illi quidem ab  
 aliis

aliis Theologis ipsi postulatæ perfectionis accusato. Quicquid sit, si quis in hoc principio perfectionem suam passivam, cuius ipse focus, ratio perfectionis determinans, et finis sit, unice solam et exclusivè velit attendi; libere profiteor, ab eius me sententia non verbis solum et stilo, sed etiam animo pedibusque lubenter discedere.

### §. 3 I. ad K. §. 34 I.

**Obiectio.** *Utilitas iusti sic motor et aequi* constituitur cum Carneade. **Resp.** Si intelligas, utilitatem tam activam, quam passivam, parum refragabimur, aut nihil; si passivam tantum, non rectè intelligis *70* *perficere* te; multo minus si tantum commoda status externi, minime, si solam opum auctorem utilitatem dixeris turpiter micrologus.

Vtinam soli solipsismum morale sequerentur, qui profiterentur. Est eiusdem monarchia patientior ipsa Iesuitica. Tu vero praesertim caueas eos, qui sua prorsus nihil interesse, sua nihil omnino referre saepiuscule profiterentur, quae vehementius urgent. Est natio comoeda, quae toties se clamat esse non A, quoties ipsi conscientia suggerit intra praecordia, quod sit A.



## SECT. II.

## CVSTODIA LEGVM.

§. 32. ad K. §. 346.

Norma s. lex latissime dicta

---

 physica,

---

 moralis, regula,  
 lex late, et in  
 moralibus sim-  
 pliciter dicta.

---

 interna,

---

 externa, lex  
 stricte dicta,  
 et ICris simpli-  
 citer, P. P. p. §. 60-63.

---

 positiva,

---

 naturalis  
 strictius  
 dicta, sta-  
 tus

---

 socialis,

---

 naturalis,  
 lex naturae  
 strictissime  
 dicta.

§. 33. ad K. §. 347.

Iam ergo lex est nobis et in posterum,  
 si moralia tractamus, lex moralis s. late  
 dicta, non amplius latissime dicta. §. 32.

§. 34.

§. 34. ad K. §. 348.

I. Ius, pro complexu legum similiū est

latissime, complexus  
legum latissime dic-  
tarum similiū,

late dictum, com-  
plexus legum  
moralium  
similiū

internarum,  
commodius  
*prudētiaē*  
nomine infi-  
gniendum.

externarum,  
ius stricte  
dictum seu  
cogens, et  
ICtis simpliciter.

II. Ius pro facultate morali sumtum est

aptitudo  
moralis  
quaecunque

ius stricte dictum  
a legibus stricte  
dictis concessum,  
quod ICtis sim-  
pliciter ius est.  
P. P. P. §. 64.

Doleri satis non potest, quantum detrimenti ca-  
piat res scientiarum publica, male feriatis il-  
lorum studiis, qui sub harum ambiguitatum  
velo iura confundunt, ut coqui.

§. 35. ad K. §. 349.

Leges positivae diuinae sunt vel vniuer-  
sales singulos, vel particulares aliquos ho-

B

minum



mirum obligantes. Si quaeratur, an existant vniuersales, affirmo Christianus, sed simul naturales: existere etiam, quae ex natura non possunt demonstrari a nobis, sed existere, quae absolute non possint cognosci ex natura, nego. P. P. P. §. 74. Pari ratione nego IUS POSITIVUM VNI-  
 VERSALE DIVINUM STRICTE DIC-  
 TUM si confusius per id intelligatur complexus legum in hoc similibus, vt

- 1) omnes homines obligent,
- 2) ex natura et per naturam sibi relictam non possint a nobis certo cognosci,
- 3) earum tamen obseruantiam Deus hominem extorquere voluerit, immo iusserit hominem ab homine.

Si iure sacra protestantibus principia tolerantiae firmo velis inniti talo: si *πρωτον Ιευδωσ* papocaesariae quaeras: hanc discute confusionem iuris diuini, et legum stricte strictissimeque reuelatarum, quae gratis supponuntur et precario sumuntur ab homine per alium hominem secundum voluntatem, vel omnino iussum diuinum, extorquendae.

§. 36. ad K. §. 351.

Ius naturae, pro complexu legum latissime sumtum.

physicum	morale, ius naturae latius sumtum
----------	-----------------------------------

hominum, ius naturae late sumtum	aliorum spirituum
----------------------------------	-------------------

prudentiae philosophicae	ius naturae strictissime sumtum, cogens, externum in statu
--------------------------	--

hominis naturali, ius naturae strictius et strictissime dictum §. I. P. P. p. §. 65.	ius societatum naturale et philosophicum et universale.
--	---

§. 37. ad K. §. 352.

Nil, nisi bona *visa nobis*, volumus, nil, nisi mala *visa nobis*, nolumus. Naturaliter nil volumus, nisi quod *nobis* nos perfectiores efficere *videtur*: nil nolumus, nisi quod *nobis* nos imperfectiores reddere *videtur* M. §. 665. Distingue tamen vtiliter ob §. 30, 31, bona vel mala mihi *visa* a mihi *visis* ita mihi bona vel mala, ut in me, tanquam fine et ratione perfectionis

B 2

deter:

determinante realitatem vel ponere, vel tollere mihi videantur M. §. 660.

§. 38. ad K. §. 353.

In quaestione de adaequato principio Iuris Naturae semper ante constituendum est, de quonam I. N. §. 36. sermo futurus sit, quia principium I. N. late sumti non potest esse adaequatum I. N. strictius sumto. P. P. p. §. 87 - 91.

Quam primum aliquid ponis principium adaequatum omnis philosophiae practicae: Simul ponere teneris idem non esse principium adaequatum iuris naturae, quod ipse tantum pro parte philosophiae practicae habes.

§. 39. ad K. §. 360.

Campus iuris naturae distinguitur in territorium notum et incognitum. Simul sumta patent, qua actiones liberae, et dant ius maxime completum. At noti territorii ii sunt termini, qui rationis, et analogi eius, quod *ignoti iamiam circa confinia ludit*. P. P. P. §. 95 - 99.

Hinc dedecet Philosophum ius naturae, quod profiteretur, ea ratione pro completissimo venditare, qua videatur id omne non nosse solum, sed et intelligere, non intelligere solum, sed etiam scire, vel omnino docere, quod sic completissimum. Quantum illud sit, quod  
nesci-

nescimus in iure naturae, etiam optime videt, qui plus in eodem clariusque videt aliis hominibus. Sed, quia restent incognita, fastidire simul cognita, quia sciri non possunt, quaecumque noueris, scientiam omnem omnem rationem in iuris naturae studio postponere velle rationis analogo, siue dixeris experientiam, siue instinctus, sanum sinciput aequè dedecet.

### §. 40. ad K. §. 361.

Rationem *nobis maxime cognitam* habent naturales leges in obiecto, de quo praecipitur, positivae in subiecto praecipiente. Quae in utroque nobis cognitam, si potissimum aut sola attendatur prior, spectantur ut naturales, si potissimum aut sola attendatur posterior, spectantur ut positivae. Quae iurium naturalium est necessitas et immutabilitas, licet obiecta eorundem determinatiora mutantur, est omnis legis diuinae, quae constans et perpetua voluntas sunt numinis immutabilis interne. Si dicas *perpetuas*, quarum ratio est durantium rerum natura: *temporarias*, quarum ratio est transitoriarum rerum natura: caue, ne mutationem earundem aliam, quam relatiuam, statuas. In leges diuinas non cadit reuocatio, antiquatio, derogatio, abrogatio. M. §. 839. P. P. P. §. 81.

## SECT. III.

## V I R T V S.

## §. 41. ad K. §. 371.

VIRTUS est habitus, sibi factu quod sit optimum, libere faciendi. Habitus moralis virtuti oppositus VITIUM est. Virtus ergo est custodia legum, habitus officiorum P. P. P. §. 83. et optimam suam, quam quisque potest, conscientiam sequendi P. P. P. §. 200. beate, hinc nunquam omnino male vel infeliciter viuendi. M. §. 787. Vitium est neglectus legum et habitus laesionum latius dictarum, stricte moraliter corrupti, hinc nunquam omnino bene vel feliciter viuendis. M. §. 788.

## §. 42. ad K. §. 381.

Definitionem imputationis, quam Koe-lerus suam facit, et aliam illam, quam post- hac Wolffius retinuit, primus conciliare- risus sum prioris definitum *imputationem legis* dicendo, posterioris *imputationem facti*, gauisusque, quum viderem et alios hunc distinguendi modum adoprasse, quoniam in notione sat graui, quaeque philo- sopheris cum theologia christiana iuribusque posituius communis est, bene tollitur seges- loga-

logomachiarum et apparentium etiam cum altero non intellecto consensuum. L. §. 458. P. P. P. §. 125.

§. 43. ad K. §. 384.

Sit in facto momentum P. P. P. §. 128, cuius oppositum est in subiecto legis: tunc syllogismus imputatorius P. P. P. §. 171. habet quatuor terminos et imputatio legis nulla est. P. P. P. §. 174.

Est et Ictis turpe, si ratiocinatio quaedam probatorialis, vel omnino sententia, *quadrupes pauperiem fecerit.*

§. 44. ad K. §. 385.

Factum in auctore est terminus minor, et complexus momentorum eius medius terminus syllogismi imputatorii. Ignorato termino minore et medio syllogismus suspenditur. Hinc ignorato facto suspenditur imputatio legis. P. P. P. §. 128, 171. FACTI SPECIES est enarratio, ex qua patescat ad quem legis campum factum pertineat. PETITIO (petitum) est declaratio conclusionis, quam pars velit a iudice fieri. Iudicum et iureconsultorum sententia est conclusio syllogismi imputatorii quem ponunt. P. P. P. §. 191. eiusque ACTA ET PROBATA sunt praemissae philosophice cognitae. Sententiae lato facto vel legi contraria est falsae maiori aut minori innixa,

hinc non minoris nullitatis, ac omnis syllogismus falsae praemissae, si vel formetur a Caesare, vel a Papa. L. §. 232.

§. 45. ad K. §. 386.

Maiore dubia, dubia est per hanc probanda conclusio. L. §. 352, 288. Ergo lege dubia, vel sensu legis dubio, non nisi dubia, adeoque minus recta, fieri posset imputatio legis. P. P. P. §. 176.

E. g. l. 22. ff. de testibus collata Gundlingianorum P. VIII, 2.

§. 46. ad K. §. 387.

Indagatio circa maiorem syllogismi imputatorii propositionem cognoscendorum quaestiones iuris: P. p. p. §. 171. indagatio circa minorem propositionem eiusdem cognoscendorum quaestiones facti completitur. P. P. P. §. 128.

E. g. In imputatione legis ad factum Danielicum 2 Sam. 12, 31. 1 Par 20, 3. descriptum quaestiones facti ne transiliantur.

§. 47. ad K. §. 388.

Principia legum sunt praemissae maiorum in syllogismis imputatoriis, quarum consequentia est ratio et anima legis, sicut omnis syllogismi consequentia est eius forma vel anima P. P. P. §. 75. L. §. 231.

Quam

Quam incundum est philosopho per leges romanas crebrum illud: *Ratio id patitur. Hoc rationem habet, illud rationi congruit, hoc magis: id summam rationem habet, hoc tandem non est sine ratione.*

§. 48. ad K. §. 389.

Quum historica cognitio sola utique sit imperfectior cognitione philosophica cum historica coniuncta, L. §. 2, 7. praenotitia legis tantum historica praestabit notitia legis ex ratione. P. P. P. §. 76. Nec ultra, nec infra, nec contra rationem applicanda est lex. L. §. 206, 280.

Aliquam harum rationum, bonam tamen partem, quum venuste pingeret *L'esprit des loix* de M. de Montesquieu, Gen, 1751. t. 3. quot theatra quantum plausum dederunt! Hinc interpretare secundum P. P. P. §. 179. l. 20. ff. de legibus et SCtis *Non omnium, quae a maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. l. 21. et ideo rationes eorum, quae constituuntur, inquiri non oportet. Alioquin multa ex iis, quae certa sunt, subvertuntur.*

§. 49. ad K. §. 390.

Nec confundatur occasio legis cum ratione M. §. 323. Bonus Iuris consultus naturalis, historicus et politicus, bonus iudex. P. P. P. §. 77.



Verfatum eundem in legibus patriae possit  
 esse supponitur in honorem nobilis officii.  
 Utinam nullibi precario.

### §. 50. ad K. §. 392.

Ratiocinaturus, praemissas clare cognoscit L. §. 204. Ergo imputaturus legem explicare potest. L. §. 28. Quumque propositurus debeat explicanda distincte nosse, explicaturus legem alteram eam distincte cognoscat. L. §. 24, 32.

Simus in plebe, simus in ipsis aliquibus inter iudices inferioribus, clara cognitione legum contenti. Satis bene de republica agitur, quae non habet iuris interpretes, nisi qui leges intelligant, distincteque cognoscant. Hinc quae studiosis philosophiae commendatur analysis iudiciorum L. §. 149. erit illa studiosis iuris rite formandis analysis legum L. §. 145. reflexio ad earum subiectum, praedicatum, hypothesein, quantitatem, qualitatem etc. successive promota.

### §. 51. ad K. §. 393.

Habitus leges explicandi dicitur iuris peritia, demonstrandi iuris scientia, utraque dat Iurisconsultum theoreticum P. P. P. §. 76.

Quamvis non sim in illa haeresi, quae iura velit omnia mathematice demonstrari. P. P. P. §. 77. impetrare tamen a me non possum, ut assentiar

tiar *Hoppio ad institutiones* p. m. 22. in definitio-  
 ne *iurisprudentiae* legali et Iustiniana occur-  
 renti notae: *scientia* annotanti. „Vox haec sci-  
 „entia cum noticia est synonyma, nec proprie  
 „et stricte hic capitur, sed latissime pro quacun-  
 „que cognitione, quo significatu et artibus  
 „mechanicis tribuitur.“ Absit eousque deprimi  
 ab ipsa iuris peritia, magis a iuris, etiam par-  
 ticularis, scientia.

### §. 52. ad K. §. 394.

Iurisprudentia dat practicum Ictum.  
 Iurisperitia et iurisscientia differunt, vt  
 genus et species nobilior P. P. P. §. 76.  
 Consultatio s. iurisprudentia potius con-  
 sultatiua vel consultatoria, vel buleutica est  
 habitus applicandi leges ad actiones mora-  
 les adhuc futuras. Iurisprudentia legisla-  
 toria seu nomothetica est habitus inue-  
 niendi leges. Ipsa ergo consultatio con-  
 tinetur sub iurisprudentia, cum forensi,  
 et prior sub se iterum continet nomothe-  
 ticam, brabeuticam, punitiuam consulta-  
 toriam: P. P. P. §. 178. Iureconsultum buleu-  
 ticum *iuris auctorem* dicerem.

Memorabilis est Ciceronis locus de or. I. 1. „Si  
 „quaereretur, Iureconsultus quisnam vere no-  
 „minaretur, cum dicerem, qui legum et con-  
 „suetudinis eius, qua priuati in ciuitate vteren-  
 „tur, et ad respondendum, et ad agendum, et  
 „ad cauendum peritus esset.“

## §. 53. ad K. §. 395.

Leguleius naturalis in leguleiis, rabula naturalis in rabulis turpissimus est P. P. P.

§. 78, 172. quia

- 1) In iure naturae non est littera scripta, in cuius verba cum aliqua iuris specie iurare possis.
- 2) Generalius I. N. male applicandum per accidens plures errores practicos et falsas conclusiones syllogismorum imputatoriorum producere potest, ac aliud forte ius magis particulare, determinatius, et minus late patens.

## §. 54. ad K. §. 407.

Moralitas actionis liberae est respectus eius ad perfectionem. P. P. P. §. 36.

## §. 55. ad K. §. 408.

Moralitas actionis liberae est respectus eius ad legem. P. P. P. §. 82.

## §. 56. ad K. §. 410.

Jam nullum factum tale est, ut ad nullam legem referri possit. P. P. P. §. 72, E. nullum factum est omnis moralitatis expers §. 54, 55. Ad cuius legis campum pertinet seu refertur aliquod factum, ex ea nomen moralitatis accipit, e. g. factum theologicè, ciuilliter, naturaliter, ethice, oeconomice, politice bonum vel malum.

§. 57.

## §. 57. ad K. §. 411.

Relatio ad perfectionem est relatio ad legem §. 30. Hinc moralitas est relatio ad legem §. 54. Studiosus perfectionis, studiosus virtutis, est legum studiosus, §. 41.

## SECT. III.

## M E R I T A.

## §. 58. ad K. §. 418.

Prout vel actiue vel passiuè sumitur meritum, vel est benefactum, vel huius praemium. Praeferamus significatum actiuum primum P. P. P. §. 106.

*E. g. Quae princeps alicui ob merita indulget l. 1. ff. de constit. princ. Hoc lato significatu terminus est utilis ad significandum benefactum, quatenus est ratio praemii, vel insufficientis, de congruo, vel sufficiens, de condigno. Male facta melius demerita dicuntur tantum, et praemiorum et poenarum quum iam sit terminus commodus, non est, cur merita (passiva) dicamus.*

## §. 59. ad K. §. 419.

Si meritum strictè et strictius accipitur pro facto, bono alteri, ad quod non fui externe obligatus, vel omnino, ad cuius praemium externe alter obligatur, P. P. P. §. 107.

107. non datur erga Deum meritum, im-  
mo nullum, si de facto peccatoris quaera-  
tur vitam aeternam vel salutem ipsam me-  
rituro. §. 58.

§. 60. ad K. §. 42 I. n. I.

Forum P. P. P. §. 180.

<hr/>	
internum,	externum s. huma-
poli, soli, s. hu-	num strictius di-
manum	ctum,
late di-	<hr/>
ctum in-	naturale, humanum
ternum.	strictissime
	dictum.
<hr/>	
conscientiae,	humanum strictè
	dictum internum.

Fora interna non dicuntur interna; quia intra  
diudicandam personam subsistant, quod de  
solo foro conscientiae dici potest accurate.  
Externa fora non dicuntur, quia extra diudi-  
candam personam subsistant, sed ab obiectis,  
factis et legibus heic externis tantum, illis  
etiam internis.

§. 61.

§. 61. ad K. §. 42 I. n. 2.

Forum, P. P. P. §. 182-185.

humanum late dictum, diuinum.

conscientiae, humanum stricte  
dictum secun-  
dum leges.

internas etiam, externas tantum,  
humanum strictius  
dictum sec. L. L.

positiuas et humanas et naturales  
iam, FORUM HUMANA- tantum,  
NUM STRICTISSIME naturale.  
DICTUM,

domesticum, politicum,  
ciuile. criminale.

§. 62. ad K. §. 42 I. n. 3.

Forum, P. P. P. §. 182, 183.

rationis, humanum late legum posi-  
dictum naturale, tiuarum.

internum, humanum strictius dictum  
externum naturale,

conscientiae, humanum stricte  
dictum naturale.

§. 63.

§. 63. ad K. §. 42 I. n. 4.

Forum, P. P. P. §. 182.

humanum late dictum,      diuinum

conscientiae,      humanum stricte  
dictum.

naturale,      secundum leges etiam  
positiuas vel diuinas  
vel humanas.

§. 64. ad K. §. 42 I. n. 4.

Forum, P. P. P. §. 185.

diuinum,      primario et proprie humana  
late dicta,

primario tantum      secundario et non nisi  
omniscientia,      improprie humana  
late dicta,

conscientiae sic  
dictum,

humana stricte  
dicta

vere      catachrestice,  
quodcunque  
forum huma-  
num stricte  
dictum, ma-  
gis strictius,  
maxime stri-  
ctissime di-  
ctum,

interna,  
ratio-      legum po-  
nis,      sitiu-  
natu-      rum inter-  
rale,      narum.

humana  
strictius  
dicta, et  
aut nul-  
lum, aut  
omnia  
strictis-  
sime  
dicta.

§. 65.

## §. 65. ad K. §. 422.

Falsa est definitio promerentis ex Gerhar-  
 dardo, nisi sic dicere velimus PROMEREN-  
 TEM STRICTISSIME. P. P. p. §. 107.

## §. 66. ad K. §. 431.

In mensurandis meritis sumi posset pro  
 vno vnica actio simplex, vnicum bonum  
 minimum merita, aut vnicae legi maxi-  
 me debili conformis, P. P. p. §. 129.

E. g. Vni frigidae guttam instillare. Sic dan-  
 tur etiam infinite parua demerita, quibus ma-  
 iora male nomine peccatillorum extenuantur.

## §. 67. ad K. §. 436.

Si lex ad gradum moralitatis respiciat,  
 quantitas ingreditur medium terminum  
 imputatorii syllogismi, hinc et opus est  
 cognitione mathematica. P. P. p. §. 129.

E. g. Serui durius habiti ne reddantur domino.  
 Inst. t. de obl. quasi ex delicto; Iudex com-  
 putare debet mercedes medicis praestitas cae-  
 teraque impendia, quae in curatione facta  
 sunt, praeterea operas, quibus caruit, aut ca-  
 riturus est ob id, quod inutilis factus est.

## §. 68. ad K. §. 438.

Res fortunae sunt a fortuna, merae for-  
 tinae ab ea sola dependentia. Posteriorum  
 quia non sumus auctores, non sunt  
 illae

C



illae nobis imputabiles. Huc res ineuitabiles *prorsus*, ad quas impediendas vires nostrae non sufficiunt, nec rectissime cultae suffecissent. P. P. p. §. 131, 132.

Magnum hinc priuatorum solatium olim, si patriae suae

*Venit summa dies et ineluctabile fatum*  
vere tale saltim respectu ipsorum.

§. 69. ad K. §. 440.

Syllogismus vel verus vel falsus est. L. §. 230. Omnis imputatio legis est syllogismus. Ergo omnis imputatio est vel vera vel falsa. P. P. p. §. 171-172.

Nolim imputationem veram et rectam, tanquam omnino synonyma, haberi. Rectitudo in omni imputatione, clarius in conscientia tam recta, quam recti, plus postulat, ac est quanta-cunque veritas non errantis. Exemplum imputationis esto falsae: Multi exstantes peccatores exstantibus calamitatibus opprimuntur. Atqui Siloitae calamitate sunt oppressi singulari. Ergo Siloitae, s. turri Siloam oppressi exstantes fuerint peccatores.

§. 70. ad K. §. 443.

Omne ratiocinium vel demonstrativum, vel minus. L. §. 289, 290. Hinc imputatio legis est vel certa, vel incerta. Quid sit imputatio incerta, eaque vel probabilis, vel

vel dubia, vel improbabilis, ex Logicis patet. L. §. 350-353. Recta non est, nisi vel certa, vel probabilis. P. P. p. §. 137, 144.

## SECT. V.

## CVRA CONSCIENTIAE.

## §. 71. ad K. §. 451.

Lex conscientiae est: fac, quae iubet optima tua conscientia. Alias leges conscientiae dicuntur, ad quas in imputando dirigenda est. P. P. p. §. 200-205.

Pessimus mos quorundam est verarum legum quasdam ita tantum et exclusivè dicere leges conscientiae, ut tacite videantur docere reliquas, etiam si veras esse negare non audeant, tamen non obligare conscientiam. Omnes leges, humanae etiam positivae et externae a legitimo imperante latae, obligant conscientiam legitime subditi cui iure feruntur: sed in omnibus legibus conscientiam obligantibus sunt quaedam, quae tunc demum obligant, si velis sequi conscientiam: illae scilicet, quae non extorquebuntur, si non velis servare propter custodiam conscientiae. P. P. p. §. 201.

## §. 72. ad K. §. 457.

Imputans legem ratiocinatur. Ergo rationem habet, eaque utitur. Hinc imputatio legis naturalis est dictamen rationis,

et haec praefertim quia acta et probata eius proxime ex natura probantur; hinc maior ex ratione P. P. p. §. 145.

Vsum certe iurium naturalium collatum usui iuris Romani contemnentis meminerint hoc ipsum antiquum et optimae notae sensum enatum esse ex usu iurium rationis, quae naturae et gentium dicebantur, tunc, quum veri non fucati philosophi Romae regnarent, quantum regnare libet philosophum in republica libera.

§. 73. ad K. §. 458.

Defectus conscientiae est defectus rationis. Defectus conscientiositatis defectus rationalitatis s. habitus rationi conuenienter viuendi. P. P. p. §. 201, 126.

Si conscientiositatis terminum, tanquam imbecillis alicuius scrupulositatis reum auerferis, dic curam, dic custodiam, dic aestimum conscientiae. Hoc nego deesse posse, nisi simul aliquid detrimenti capiat cura, cultura, aestimum rationis, quae tunc demum est optima, si practica sit, et vitam sibi respondentem comitem habeat. Verum est, quod dixi, de conscientia naturali, neque tamen de ea solum. Ipsa conscientia christiana rationis est vsus per fidem illuminatae.

§. 74. ad K. §. 460.

In atheis, empaectis, epicureis dantur eiusmodi dictamina, §. 72. ergo omnis con-

conscientia illis denegari nequit. P. P. p. §. 200, et semet ipsos fallunt, quando sibi conscientiam omnem exuisse videntur, dum christiana forsan instrui nolunt, aut leges eius stricte reuelatas susque deque habent, aut erroneam exactae, confusio-rem distinctiori, incertam certiori praefe- runt, saltem minus bonam lubentius, ac optimam, sequuntur. P. P. p. §. 201-205.

§. 75. ad K. §. 461.

Qui agit contra dictamina rationis a se cognitas, CONTRA CONSCIENTIAM AGIT STRICTE, sicut LATE peccans omnis, STRICTIUS peccans contra conscientiam concomitantem.

§. 76. ad K. §. 464.

Vox conscientiae rectae, est vox ratio- nis sanae; vox rationis sanae est vox na- turae. Vox ergo rectae conscientiae est vox naturae, §. 73.

§. 77. ad K. §. 468.

Nondum satis culta logica probabilium est, vt determinari sufficienter possent per dictum de omni et nullo non sequentis probabiliter tamen valentis consequentiae syllogismi vel ratiocinationes polysyllogi- sticae. L. §. 232, 233.

## §. 78. ad K. §. 469.

Existencia facti eiusque signa, quae in delicto sunt corpus delicti, primum in omni imputatione, tam facti, quam legis, in ipsa consultatione, faciendi quae dicitur futuritio, consideretur. P. P. p. §. 128, 178.

## §. 79. ad K. §. 470.

Intrinseca et physica possibilitas ne probabiliter quidem valentem ad existentiam facti dant consequentiam §. 77 L. §. 350. P. P. p. §. 139. nec quaeuis coniectura probabilem reddit existentiam facti, P. P. p. §. 144.

## §. 80. ad K. §. 474.

Errorem facti imputandi *essentialem* committit, qui in momentis eius errat. Qui in determinationibus facti pro ratione legis non attendendis errorem facti committit, committit *extra essentialem*, P. P. p. §. 128.

In dictum: *Error facti excusat, error iuris non excusat*, dictum illud dixeris: *Neque nihil est, neque omnia, quae hic dicit.* Pone legati stipendii conditionem vnicam, vt candidatus studendi gratia viuat in academia, pone alterius conditionem, vt sit in academia actu studens theologiae. Pone te studiosum actu, sed iuribus operam nauantem, Titium habuisse pro studioso theologiae, cui conferendum sit stipendium in casu primo *extra essentialem*,

tialem, in secundo essentialem errorem facti commisisti.

§. 81. ad K. §. 475.

Error et ignorantia vincibiles sunt, quos euitare moraliter potui, debui: inuincibiles, quos euitare non obligatus fui. Distinguantur hic fora. Omnis error est absolute vincibilis, et ethice, sed non semper secundum I. N. et forum externum. P. P. p. §. 178.

Venator occidit in via regia viatorem sclopeto, quem per diluculum procul pro fera per errorem habuit: hic vincibilis est. Idem ius habeat venandi in opaca silua, per quam nulla uia ferat, crepera luce petat nota sibi lustra ferarum. In vno motum aliquem obseruans, feram petens eo sclopetum dirigat, tandemque deprehendat se vulnerasse hominem, qui errore viarum eo delapsus per noctem lassus procubuerat. Hunc errorem venatoris in foro rationis externo concesserim inuincibilem, etsi non negauerim eum propius accedendo, diem expectando clariorem etc. vinci potuisse.

§. 82. ad K. §. 476.

Officium, (die Pflicht.) P. P. p. §. 83. distingue a statu sociali, in quo personae ad certum actionum peculiarium genus obligantur, s. MUNERE (einem Amte.)

B. g. *Iudicis officium est vii res, ita tempora  
terrum*

*Quaerere.*

§. 83. ad K. §. 479.

In quo foro leges internae non sunt valide imputandae, illud omnium officiorum internorum est incompetens. P. P. p. §. 61, 92, 181.

§. 84. ad K. §. 480.

Effectu pro caussato posito potest obligatio omnis effectus legis dici. Accurate est effectus personae obligantis, et quidem tantum nexum eius actuantis, non autem cuiuscunque nexum iam actuatam significantis. §. 7.

§. 85. ad K. §. 488.

Caue, ne factum moraliter difficile, ad quod magno libertatis nisu opus est, pro moraliter impossibili habeas, praesertim vbi difficultatis auctor es. P. P. p. §. 138.

B. g. Sint omnes impossibilitates illae, quas obiciunt iuris naturalis scientiam, politiciorum distinctionem, Romani etiam antiqui et noui, non obstante Tribonianismo, iuris patrii primarii combinationem luculentio rem cum subsidiario tantum, vtriusque fontium meliorem notitiam postulantibus.

§. 86.

§. 86. ad K. §. 491.

Actiones inuitae per violentiam simpliciter sumtam externam non sunt liberae, M. §. 714, 719. Ergo non sunt imputabiles. P. P. p. §. 131.

Inuitas per violentiam quameunque, secundum quid etiam coactas ab extra, non possum nec in foro quidem humano vel externo censere pro non imputabilibus, eo minus, quo apertius est benefactum, si

*Iustam et tenacem propositi virum*

*Nec civium ardor prava iubentium*

*Nec vultus instantis tyranni*

*Mente quatit solida. P. P. p. §. 164.*

§. 87. ad K. §. 492.

In mere naturalibus, rebus merae fortunae et prorsus ineuitabilibus nulla, in actionibus intellectus et voluntatis vsu destituti non habet locum imputatio, quod forum attinet humanum stricte dictum. Haec restrictio additur, quoniam in foro poli saepe patet, quomodo intellectus et voluntatis vsu destituti mediate saltem sint actionum in isto statu praestandarum auctores. P. P. p. §. 147, 193.

Denuo rogauerim haec exempla sibi saepius ob oculos ponere, qui de necessitate distinguendi fori semet ipsi velint vel alios conuincere, Confusis enim foris de omnibus actionibus,

C f

quas



quas §. 147. enumerat, laxius videberis sentire theologo non solum, sed et omni rerum gnaro christiano, si sentire videaris cum lureconsultis, et hi rursus graues utique habent rationes; cur de actionibus eiusmodi regidius sentire dissuadent. - In competente quisque foro recte sentit. P. P. p. §. 199.

### §. 88. ad K. §. 494.

Repraesentatio quatenus prorsus non est libera, nec moralis, nec imputabilis est. P. P. p. §. 131.

### §. 89. ad K. §. 498.

Primi voluptatis et taedii sensus examinentur ex natura P. P. p. §. 34. et per naturam. M. §. 758.

### §. 90. ad K. §. 499.

Actiones liberae sunt imputabiles §. 42. Quaedam diiudicatio primi taedii vel voluptatis in anima orientis et quaedam eius diiudicationis neglectio sunt liberae M. §. 719. E. et quaedam eiusmodi diiudicatio eiusque neglectus est imputabilis.

Vtilissime distinguuntur iterum fora, si diiudicandae sint eiusmodi catenae morales, qualem K. §. 493. exhibuit secundum forum internum obseruando, si male cohaereant, contingenter etiam et libere cohaerere singulos earundem annulos: e. g.

*Ve vidi! ve perii! ve me malus abstulit  
error!*

*Mars videt, hanc, visamque cupit, positur,  
que cupita,*

*Visus, et alloquium, contactus et oscula,  
factum.*

Ipsa prima sensatio saepe falsissime ad §. 85. iam refertur, et habetur in mere naturalibus, quando multis modis ab arbitrio tuo pependerit videre, vel non videre, diutius, oculis emissitiis etc. Dein iudicia quae dicuntur sensuum iam falso confunduntur cum ipsis sensationibus. Haec diiudicans distinguat non sequenda et iam peccaminosa. etc.

### §. 91. ad K. §. 501.

Vel ante actum, vel post illum, vel in ipso actu de eodem iudicat conscientia. Hinc antecedenti et consequenti, non male concomitans additur. §. 75.

Ad huius existentiam clarius introspiciendam attendantur praesertim habitus et status et apotelesmata moralia, quae longam succedentium sibi inuicem liberarum determinationum seriem, tanquam partes sui, complectuntur, et totum, ens successuum. Per eiusmodi totius enim durationem illud iterum iterumque diiudicans conscientia totius nec antecedens est, nec consequens, est concomitans conscientia.

## §. 92. ad K. §. 508.

Obligatus ad determinationes liberas actu praestandas obligatur ad completam appetitionem, decretum et conatum hoc significato efficacem. Iam Phil. practica, sicut omnis lex, obligat ad prius, ergo et ad posterius. P. P. §. 141.

Solis bonis motibus amabilibusque sollicitationibus ad bene agendum intra se contenti

*Virtutem qui amant, ipsi sibi somnia fingunt.*

## §. 93. ad K. §. 536.

Non liberae actiones non pertinent ad campum legis, hinc eam non violant: dicuntur tamen violare, quae violarent, si liberae forent. P. P. §. 148.

Sicut diuisionem obligationis in moralem et non moralem: sic et violationem legis, moralis scilicet, non moralem nescio. Lex moralis nulla brutis est lata: nullam ergo violant, non aliquam, sed non moraliter. At istas, puniuntur tamen e. g. quibus aliquis abusus est sodomitice. Nego puniri, concedo sapienter iuberi posse, ut cum puniendo homine palam interficiantur. Si qua reliquorum praeter hominem animalium huius telluris bruta non esse supponas, sed personas quantulascunque, legem has violare posse concedo, sed et ex eadem hypothesis moraliter.

§. 94.

§. 94. ad K. §. 539.

Connexa *inseparabiliter* officio lex hoc iubens cointendit P. P. p. §. 141.

§. 95. ad K. §. 540.

Velleitas, speculatio, approbatio hypothetica, voluntas antecedens, non sufficiunt in vllis, ad quae lex obligat, dum ad moraliter impossibilia prorsus non obligamur. §. 92.

Pone legem ad factum obligantem aliquam obligare tantum ad eius voluntatem antecedentem causas impulsivas potiores connecteret cum facto, cuius tamen contradictorium consequenter adeoque magis appetendum esset. Ergo talis lex obligaret ad moraliter impossibile M. §. 73.

§. 96. ad K. §. 541.

Quatenus a conatu efficaci sunt *inseparabilia* vsus mediórum, impedimentórum sublatio, suscitatio vel arreptio occasionis, quatenus, neque minus, neque magis, ad haec obligatus est obligatus ad illum. §. 94.

§. 97. ad K. §. 542.

Nec extendas obligationem ad enumerata §. 96. ultra alicuius ex iisdem vllam possibilitatem physicam et moralem. P. P. p. §. 141, 10.

SECT.



## SECT. VI.

## DILIGENTIA.

§. 98. ad K. §. 544.

Vfus virium facto sufficientium est  
DILIGENTIA.

Et rem habes et tentatam aliquam eius mathe-  
sin intensorum aut calculationem l. i. ff. de  
obl. et actionibus: „Qui vtendum accepit,  
„exactissimam diligentiam custodiendae rei  
„praestare compellitur, nec sufficit ei eandem  
„diligentiam adhibere, quam suis rebus adhi-  
„bet, si alius diligentior custodire poterit. „

§. 99. ad K. §. 546.

DILIGENTIA DEBITA est ad quam  
obligamur. In quo ergo foro ad certam  
diligentiam non obligamur, in eo non est  
debita. §. 98. P. P. p. §. 199. Hinc egre-  
gie differunt diligentia INTERNE debita  
in internis etiam secundum leges etiam in-  
ternas, et EXTERNE DEBITA in externis  
tantum et quidem secundum leges exter-  
nas tantum.

In lege citata fori tantum externi est: „Is, apud  
„quem rem aliquam deponimus, negligentiae  
„nomine ideo non tenetur, quia qui negligenti  
„ami-

„amico rem custodiendam commisit, de se queri debet.“ Equo generoso sponte currenti si subdas calcaria diligentiam velut externe debitam expressurus :

*Stat sonipes et fraena ferox spumantia  
mandit.*

§. 100. ad K. §. 547.

Nolitio diligentiae debitae est **DOLUS**. Non volitio sine dolo **CULPA** est **IN SPECIE**, quum **OMNIS CULPA** (in genere) fit vincibilis defectus rectitudinis, hinc non volitio diligentiae debitae §. 99, 98. Volitio diligentiae officio contrariae est nolitio debitae, hinc dolus. Omissio vel neglectio diligentiae debitae vel est culpa tantum, **NEGLIGENTIA**, vel dolosa. Si nullus prorsus indeliberatus dolus est, hoc tamen maior est, quo deliberatior **M. §. 696, 697**. Quidam abusus virium potest esse diligentia §. 98. **M. §. 338**. debita, hinc nec culpa nec dolus §. 99. Abusus autem virium officio contrarius vel culposus tantum, vel etiam dolosus est. Culpa in specie semper est culpa negligentiae, **CULPA VERSUTIAE** per indirectum dolus est. Officiorum et diligentiae vel interne tantum vel externe debitarum pro differentia potest in foro interno dolus, et is quidem maior, esse, qui in foro externo ne culpa quidem §. 99.

§. 101.

## §. 101. ad K. §. 548.

Nec a culpa ad dolum nec a dolo ad culpam in specie valet consequentia, quam in posterum in iure philosophico simpliciter culpam dicemus §. 100.

Hinc nec datur tertium inter culpam et dolum, demeritum tamen. De culpa versutiae s. media si legatur Wolff. phil. pract. vniu. P. I. §. 782-784. facile patebit esse eam speciem doli, quem excusandi gratia culpam dixerunt ex fixis definitionibus loqui minus adsueti.

## §. 102. ad K. §. 551.

Quia culpa etiam

- 1) est non volitio diligentiae legi morali debitae, hinc actio libera,
- 2) a voluntatis facto omissiuo dependens culpam committentem auctorem habet, imputabilis etiam est in eo foro, in quo diligentia ipsi opposita debita erat. §. 100, 99.

Quoniam ergo non culpae solum sed et doli sunt, in foro externo nec in delictis nec in quasi delictis habendi: si tamen culpa etiam externe talis negetur DELICTVM, affirmetur QVASI DELICTVM secundum Inst. lib. III. t. V. non ideo haec negatur imputabilis in demeritum, sed tantum negatur factum externe illicitum dolosum, conceditur factum externe illicitum culpofum.

§. 103.

## §. 103. ad K. §. 552.

Non datur culpa fortunae aut prorsus inevitabilis. §. 102. P. P. p. §. 131, 132.

Ducem exercitus prudenter et circumspecte praestantem externe debita singula tamen male pugnata pugna non sufficit excusare, si doli simul exculpandus est, si culpa saltim reus agatur, quia fortunam aliquando sinistram expertus est.

## §. 104. ad K. §. 555.

Ad quae omnes nostrae vires requiruntur, SUMMAM, ad quae minimae apperceptibilem requiruntur, MINIMAM DILIGENTIAM REQUIRUNT, eiusque gradum illa summum, haec infimum. Ad quae vires requiruntur, quae circiter se habent ad minimas et maximas, ut media proportionalis, MEDIUM DILIGENTIAE GRADUM REQUIRUNT. §. 99. M. §. 331.

Sic e. g. in foro interno summam diligentiam postulat vna pietas interna, infimam tempus sibi fallere, laborare circiter mediam. In foro externo nunquam poteris obligari ad summam diligentiam in genere, poteris ad aliquam certi temporis et datae durationis. Hanc autem particularem et externam diligentiam debes externe, quantum pactus es, aut externe tenebaris pacisci. e. g. ob naturam negotii non nisi per summam diligentiam consequendi. Hinc metire iocum illum:

D

Fae



*Fac tuum officium taliter qualiter: generatimque mores in promittenda summa diligentia liberalissimorum, dum in agendo tamen profusus non externe, nec interne quidem volunt obligari nisi forsitan ad minimam, ubi sibi sic satis commodum fuerit.*

### §. 105. ad K. §. 559.

In quo casu et in quo foro non obligati sumus ad datam diligentiam, in eodem nec culpa nobis, nec dolus imputari potest. §. 99, 100.

E. g. Hospites non recipis. An dolus? an culpa est?

### §. 106. ad K. §. 561.

In dolo semper accedit malus deliberationis actus ad omissionem diligentiae debitaе, qui non accedit in culpa. Hinc dolus semper culpa peior est formaliter §. 100. Hic etiam gradus admittit, prout diligentia vel summa; vel media, vel infima debebatur, quam omittas dolose, vel partialiter, vel totaliter §. 104. Dolum per indirectum, caeteris paribus, concedo minus imputabilem dolo directo. §. 100. P. P. p. §. 161, 167. licet negem culpam esse tantum §. 101. Materialiter concedo culpam vix imputandam posse maius alicui malum attrahere, ac dolum satis grandem.

Sed

Sed quia hi gradus mali generatim non veniunt in computum gradum facti examinantem P. P. p. §. 162, de formali tantum prauitate quaeritur.

Si legem 226. D. de verb. signif. perpenderit: Magna negligentia dolus est; videbis ex ratione oppositorum opposita, qui dolus minor dici potuerit culpa vel versutiae vel media.

§. 107. ad K. §. 563.

In omni actu malo non volo diligentiam debitam, quam si simul nolim, dolus est, si nec velim nec nolim, culpa. §. 100.

§. 108. ad K. §. 564.

Sint actiones materialiter bonae, sed ex sola voluptate, vel ambitione, vel auaritia profectae, culposae sunt, quia omissa est debita volitio; si volitio oppositi accesserit, sunt dolosae, peiores formaliter. §. 107, 106.

Hinc ne inferas actiones materialiter malas, quam primum ex bona intentione suscipiuntur, fieri formaliter saltim bonas, quia nulla lex est: fac mala ob bonum finem, vt inde eueniant bona, et talis intentio hinc semper esset non volitio diligentiae debitae. P. P. p. §. 70.

## §. 109. ad K. §. 570.

Cuius nec mediate nec immediate auctores sumus, nobis non est imputabile P. P. p. §. 125. Hinc interpretare: inuoluntarium ortum ex voluntario habetur pro voluntario. P. P. p. §. 165.

## §. 110. ad K. §. 571.

Si omnia in facto repræsentata momenta singulis conauctoribus imputantur, imputatur ipsis factum pro indiuiso. Si vero quoddam facti momentum huic, aliud alii conauctori imputatur, ipsis factum diuisim imputatur. P. P. p. §. 152.

## §. 111. ad K. §. 578.

Si et quatenus, error et ignorantia et conscientia erronea fuerunt vincibiles, fuit in potestate nostra positum nos determinare circa actionem inuitam per ignorantiam vel errorem. Hinc est illa libera et imputabilis. P. P. p. §. 158.

## §. 112. ad K. §. 580.

Actio coacta per violentiam externam secundum quid est arbitraria, M. §. 714. Hinc quaedam eiusmodi actio potest esse libera M. §. 719. et imputabilis P. P. p. §. 164. Brocardicum ergo: coacta non imputantur, vnice intelligendum de §. 86.

§. 113.

## §. 113. ad K. §. 586.

Volitio efficax s. decretum inefficiens  
tamen est morale, hinc imputabile. P. P.  
P. §. 165.

Duplicem ob causam legitima suadetur theoria  
de meritis demeritisue conatus, quia 1) falsa  
eorundem theoria abutuntur, qui ad factum  
obligati subsistentes intra solas velleitates et  
antecedentes, incompletas, et minus plenas  
volitiones culpis tamen suis saltim conatus  
merita tribui volunt 2) vbi vere adsit, quic-  
quid a libertate nostra pender, et ad quod ob-  
ligati eramus, non excusati solum, sed etiam  
exculpati possumus etiam in foro interno esse,  
etiamsi serior decretis euentus casu non re-  
sponderit ex voto. P. P. p. §. 198: Praeuidens  
certo modo se laboraturum in cassum, neque  
tamen officia deserens, sed nihilo minus id  
omne agens, quod in ipsius potestate consti-  
tutum est, ideo non est minoris iusto iudici,  
ac alter minus forte tenax boni propositi,  
sed fortunator.

## §. 114. ad K. §. 587.

Sicut vna virtus, vnum vitium est §. 41.  
singulorum tamen officiorum habitus ali-  
quando *virtutes*, et his oppositi habitus  
VITIA (particularia) vocantur, singula,  
consuetudinaria etiam, quoniam morales  
sunt habitus, imputabilia, P. P. p. §. 166,  
167.

## §. 115. ad K. §. 588.

Quo magis aliquis habuit affectuum stimulos in sua potestate, hoc magis affectus ipsi imputantur. P. P. p. §. 159, 147.

## §. 116. ad K. §. 589.

Defectus mere naturales non magis, ac bona vel dona mere naturalia possunt imputari. M. §. 708. P. P. p. §. 131.

## §. 117. ad K. §. 590.

Defectus virium mere naturalis, et impotentia mere naturalis non sunt imputabiles. §. 116.

## §. 118. ad K. §. 591.

Infirmetas humana est impossibilitas physica in homine ad certum in actionibus eius gradum rectitudinis. Hinc est vel simpliciter talis, vel secundum quid. Illa nunquam, haec imputabilis est, si status, ex quo infirmitas pendet naturalis, vlla ratione libertati subest. P. P. p. §. 168.

## §. 119. ad K. §. 592.

Ex infirmitate humana simpliciter dicta quicquid tantum oritur, non est imputabile. §. 118.

Quoniam bene multa humana infirmitas etiam secundum quid talis in foro externo mereatur non excusationem modo, sed etiam excus-

exculpationem P. P. p. §. 198, onfusio fororum interni et externi hoc etiam incommodi tulit, vti aliquando benignissima iustitia durior tribunali humano videretur. Fori externi sunt: Curatores siue puberibus, siue impuberibus dati propter aetatis infirmitatem. l. 6. D. t. rem pup. saluam. In metallum damnati si aetatis infirmitate inutiles operi faciendo deprehendantur. l. 22. D. t. de poemis. Deferre non possunt mulieres propter sexus infirmitatem l. 18. D. t. de iure fisci. l. 1. D. t. de obl. et act. *infirmitas humana* quae nonnunquam et *humanitas* l. 38. D. ex quibus caussis maior,

### §. 120. ad K. §. 593.

Quum facta sint, eorumque existentia et plena expetitio, ad quae obligamur, obligatus ad factum, obligatur simul ad omnia antecedentia et caussas consequentia, et consequentia, quae ad facti omnimodam determinationem pertinent, vel physice vel moraliter necessario moralia, hinc praeuidenda P. P. p. §. 133. Hinc talia consequentia facti auctoribus eius recte imputantur. P. P. p. §. 134 - 136.

Praeuidendum in foro externo denuo erit, quod praeuidendum auctores externe obligatos fuisse probari potest inter homines.

## §. 121. ad K. §. 595.

Ex affectu vel euitabili vel superabili i. e. ratione domabili oriunda, vel physice vel moraliter necessario, quae praevidere debueramus, nobis imputantur, §. 120.

## §. 122. ad K. §. 596.

Causae morali stricto dictae si auctor immediatus essentialiter subordinetur, huius factum illi recte imputatur, P. P. p. §. 150 - 158.

## §. 123. ad K. §. 600.

Si pateat conscientiae dependere somnium ex liberis vigilantis perceptionibus, imputatur, ut earum consecrarium physice necessarium, §. 120.

En! denuo satis evidens exemplum, quam necessaria sit fororum distinctio, si quid iudicare velis, an imputabile sit, nec ne. Omnem quorumcunque somniorum moralitatem negaturus satis se vel in philosophicis practicis nondum versatum proderet, et tamen aequè falleretur, qui vellet actionem institueret ex somnio, vel ex eo testimonium elicere in foro externo. Rationem posterius vidimus P. P. p. §. 193.



## CAPVT II.

## OBLIGANDVS HOMO.

§. 124. ad K. §. 732.

Quaeritur, quaenam officia hominis extortionem patiantur, physice et moraliter i. e. cum quorum officiorum meorum oppositis, tamdiu alter homo physice et moraliter possit connectere mala, donec eorum me auctorem esse ipsi constet P. P. p. §. 56. M. §. 728.

Lubens hic adhuc extortionem ab extortione violenta distinguo. Nec ad illam alias minas refero, quam quae connectendorum actu malorum cum laesione latius dicta et quidem aminato ipso metum contineant, neutiquam autem significationem solam malorum cum laesione latius dicta iam aliunde connectorum, §. 7. Sic et tantum de extortione, quae fiat ab homine in hominem, quaeritur. Hinc logomachiam sereret, qui officia, quae non extorquenda dicimus, extorquenda diceret a Deo, aut Deo saltem ius ea extorquendi competere, de quo non quaeritur.

§. 125. ad K. §. 733.

Sunt quaedam officia hominis in hominem sub hac quae comprehendendi formula

D §

pos.



possint: *Suum iuris cuique* negative saltem tribue P. P. p. §. 93. Horum extorsio saepe physice possibilis est illi homini, cui alter suum iuris non tribuit, et tunc ponas, eam priori moraliter impossibilem per legem externam naturae, haec lex naturae prohiberet priorem suam perfectionem conseruare, hinc posceret, eam imminuere, et quidem vt posterior male agere i. e. suam simul imperfectionem. promouere posset, quod contra §. 30. Sunt ergo quaedam officia hominis in hominem, quae homo ab homine extorquendi per naturae leges externas ius stricte dictum habet P. P. p. §. 64, adeoque secundum ius naturae stricte dictum P. P. p. §. 65.

§. 126. ad K. §. 734.

Officia sub formula §. 125. P. P. p. §. 93. comprehensa, quatenus extorquenda sunt, commodissime forsan dicuntur externa P. P. p. §. 92.

§. 127. ad K. §. 735.

Sint alia officia hominis in hominem in hanc reducenda formulam: Auge suum quodcunque alterius. P. P. p. §. 93. Quum tamen ad haec officia aliorum perfectionem augentia non obligemur, nisi vbi perfectio nostra detrimenti nihil capit, quam pro legitima inter amorem aliorum et nostri

stri proportione, praeferre tenentur: difficillime casus illi, in quibus ad ea obligamur, diiudicantur, praesertim ab aliis, maxime ab iis, qui iuvari forsitan aequo vehementius vellent. Hinc concessa extorsione indefinita litigia infinita e. g. Quicquid homini praestari potest officiorum ab homine, sub hanc formulam cadit: Praesta alteri bonum, quantum potes, P. P. p. §. 91. 1) relinquendo, non auferendo, quae iam habet. Et hoc solo non abusu virium nostrarum, sola omissione, hinc pluribus facilius praestari potest, P. P. p. §. 31. Hinc ius naturae stricte dictum §. 125, est tantum ius vetiti per legem prohibitivam. P. P. p. §. 68. Ne tollas, ne imminuas alterius hominis suum iuris, nec eum in usu eius impedias. P. P. p. §. 93. 2) augendo, conferendo, quae nondum habet, iuuando, tribuendo ipsi suum quodcumque positivae P. P. p. §. 93. Et hoc semper positivum usum virium nostrarum, et commissionem requireret, ubicunque praestaretur, hinc paucioribus difficilius praestari potest. P. P. p. §. 31. Hinc lex naturae praeceptiva: Iuva alterum, quantum potes, non est generatim extorquenda, non est ius mandati stricte dictum. P. P. p. §. 68, 65.

## §. 128. ad K. §. 736.

Officia non extorquenda sub formula  
§. 127. mandante comprehensa forsan com-  
modissime dicuntur interna, P. P. p. §. 92.

## §. 129. ad K. §. 737.

Si obligatio non desumpta a licita alteri  
homini extorsione officii, de quo quaeri-  
tur, dicatur minus plena, imperfecta, et in-  
efficax: tamen est plena, perfecta et effi-  
cax, si negligatur, ad poenam naturalem  
et diuinam saepe grauissimam P. P. p. §. 117-  
124. Inefficacia ad dandum bellum et  
actionem hic sola attendi solet ab iis, qui  
obligationes internas dictis modis cogno-  
minarunt. P. P. p. §. 92, 56.

## §. 130. ad K. §. 739.

Si conciperes officia humanitatis, vt ea,  
ad quae amor et philanthropia obligat,  
omnia officia externa essent etiam huma-  
nitatis P. P. p. §. 57 - 59.

Generatim deprecor, ne quis necessariam con-  
tradistinctionem horum officiorum eo referat,  
ac si vna pars cum immerito contemptu alte-  
rius vel bene coli, vel accurate doceri possit.  
Audiamus e. g. Senecam; „Quis est iste, qui  
„se profitetur omnibus legibus innocentem?  
„Vt hoc ita sit, quam angusta innocentia est,  
„ad legem bonum esse? Quanto latius officio-  
rum patet, quam iuris regula? „

§. 131.

## §. 131. ad K. §. 740.

Auxilium aliis ferendum in statu naturali est, officium humanitatis. §. 127.

In statu enim sociali utique potest auxilium quoddam externe debitum esse naturaliter etiam.

## §. 132. ad K. §. 744.

Actus ex bonitate profecti vel sunt indefiniti, quorum objectum particulare nondum determinatum est, vel definiti objecto vel utiliora, beneficia M. §. 903, hinc minus utilia, suscipienti minus molesta homini, quam ut nomen beneficiorum ferant, RES VULGARIS HUMANITATIS et innoxiae utilitatis.

Possunt haec concipi, ut beneficia evanescentia, vel infinite parua, quorum tamen priorem denominationem nollem pro synonymica totaliter haberi cum secunda, quoniam ad innoxiam utilitatem aliquando referuntur, de quibus neutrum probari potest, dummodo concedentem non laesura promittantur.

## §. 133. ad K. §. 745.

Lex naturae praeceptiva actuum bonitatis indefinitorum, beneficiorum, ipsarum rerum vulgaris humanitatis, et auxiliorum non est jus mandati strictè dictum, nec fuit ideo actus ejusmodi generatim homini ab homine extorquendi §. 127.

nec

nec OBTRUDENDI, si sic dicitur extorsio acceptionis i. e. consensus in eos ab altero actuandos. Quum enim liberum ejus arbitrium, cui obtruderentur, an velit acceptare, nec ne, possit ejus esse suum juris, lex naturae talem extorsionem permit- tens vel omnino mandans contradiceret juri naturae striete dicto. §. 125. secundum quod homo quiuis in statu naturali jus habet a quouis extorquendi non obtru- sionem beneficiorum et actuum, qua- cunque dicuntur ex bonitate hominum in se profecti. §. 132.

Dudum oves luporum beneficiis periissent, nisi cauissent aliquando canes, vti decet, illa ne obtruderentur.

### §. 134. ad K. §. 746.

Interna hominis nulla quum possit ul- lus homo ab illo diuersus naturaliter nos- se, P. P. p. §. 180. vel hinc jam patet in- terna nulla, nulla officia circa religionem, virtutem, honestatem, philanthropiam, animum gratum interna extorquenda esse, quoniam extorsuro constare nun- quam potest, an auctor eorundem sit, in quem tentata fuerit extorsio, nunquam ille naturaliter certus fieri potest de se- quuto tandem apud hunc superpondio ad inuitam actionem ejusmodi internam M. §. 728, Eadem lex perfectiua, quae illa

illa poscit, poscit illa simul ex causis impulsivis omni humana extorsione superioribus, et quidem vt libera ab omni violentia externa. P. P. p. §. 84. Hinc si quid extorquendo nascitur intra patientis animum, illud non est officium, ad quod tamen extorquens obligare velle videbatur, interim suum juris patienti ne negative quidem tribuens juri naturae strictè dicto contrarius. §. 125. Hinc sane non ex contemptu leviculo, sed propter ipsam internorum et officiorum eorum tantum spectantium gravitatem, sanctitatem et inviolabilitatem, ea omnia officiis externis, externoque juri, sicut foris externis omnibus, exempta ponimus. P. P. p. §. 186. Pietatem internam extorsurus aut nihil, aut actus insigniter impios, aut hypocrisiam extorquebit. Ultima cui satisfacit, quique nihilominus internam se pietatem intendere prae se fert, nonne ipse est hypocrita?

§. 135. ad K. §. 747. n. I.

Quicquid est alicujus hominis suum, juris intellectu tale, circa illud huic homini jus est 1) ad omnem illius usum externis legibus non contrarium, 2) extorquendi ab omni alio homine, si non potest aliter obtineri, ne se hic physice impediat in usu ejusmodi. §. 125. P. P. p. §.

93. Suum logicum dixeris, quicquid subiecto conuenit, suum metaphysicum, quicquid substantiae inhaeret, vel accidit, vel etiam suum inhaesiuue tale. Nos hic disquirimus de suo morali, ad cuius usum personae facultas moralis conueniat, et in iure quidem, ad cuius usum homini jus competat, siue videatur ejusdem hominis praedicatum esse, siue minus, siue videatur eidem inhaerere, siue minus, siue videatur usus quidam legibus internis contrarius, siue minus. Quicquid mihi conuenit, ut subiecto, quicquid mihi inhaeret, vel accidit, ut substantiae, quicquid est extra me positum, quo uti absolute, physiceque possim modo legibus externis non contrario, meum illud est, intellectu juris. Hoc significatu cum sol et aer meus sit: vides necessitatem significatus strictioris.

§. 136. ad K. §. 747. n. 2.

SUUM (juris intellectu tale) ALICUIUS STRICTIUS est, ita huic potius bonum, quam aliis, ut hic ad ejusdem usum aliis concedendum externe non obligetur. Solius ALICUIUS personae si quid sit suum (juris) strictius aliquando dicitur hujus SUUM STRICTISSIME commodius huic proprium. Quod meum strictius est, ab ejus usu excludendi alios jus  
ha-

habeo, sicut omnes alios ab ejus vsu, quod mihi proprium est. P. P. p. §. 64.

§. 137. ad K. §. 749.

CONNATUM est, quo nascens jam instructus est, quo nascens nondum instructus est, suum tamen alicujus, SUUM ACQUISITUM est.

§. 138. ad K. §. 750.

Suum juris et stricte, P. P. p. §. 93. stricte, et strictissime dictum, §. 136. vt *cuique*, negative saltem, *tribuas* i. e. relinquant, non imminuas, eiusque vsum legibus externis non contrarium ne impedias, §. 135, nec vsum decernas, illo inscio et inuito, a quo illi te excludere ius est, est officium personae in personam, hominis in hominem naturale iuris externi §. 125.

§. 139. ad K. §. 751.

*Abstinet ab alieno*, qui eius vsum ad perfectionem illius, cuius est, non impedit, quoruscunque legibus externis non est contrarius, quique suum imminuto alieno contra §. 138. augere non conatur. Vtus vel abusus legibus externis contrarius est  
VSURPATIO.

§. 140. ad K. §. 752.

Legi stricte dictae, vel externae P. P. p. §. 61, officiorum extorquendorum contra  
E distin-



distinguitur **CONSILIUM**, quod est regula officiorum, ab eo, qui normam indicat, non extorquendorum.

§. 141. ad K. §. 753.

Ius naturale cogens est complexus legum stricte dictarum naturalium, idque vel I. N. strictissime dictum, §. 1. vel ius sociale primum.

§. 142. ad K. §. 754.

Principium iuris naturae §. 138. exhibitum potest et ex philanthropia interna demonstrari, sed heic consultum est, obligationem ad illud externam tantum attendere, per alteri licitam extortionem, cuius formidine peccare contra dictum principium oderit vel soli philantropiae litans, in idem qui peccare non odisset amore superioris virtutis. §. 4. Ethic. phil. §. 316.

§. 143. ad K. §. 755.

Principium adaequatum scientiae iuris illius naturalis externi, strictissime dictum nostrum et sociale comprehendentis, P. P. p. §. 93. vidimus. Nostri strictissime dicte iuris naturae principium adaequatum primum inde sequitur: **SUUM CUIQUE TRIBUE IN STATU NATURALI.**

§. 144. ad K. §. 758.

Quaedam consilia in foro interno nos fortius obligare possunt, ac quaedam leges stricte dictae in foro externo. §. 140. P. P. p. §. 17.

§. 145. ad K. §. 759.

Si subtraxeris leges naturales strictissime dictas §. 143. a legibus naturalibus, remanent 1) sociales stricte dictae 2) internae omnium statuum. §. 1.

§. 146. ad K. §. 762.

Obligatio naturalis externa est connexio merus extorsionis, quam extorsionem alterum actuare posse ex natura et per naturam constat. §. 142.

§. 147. ad K. §. 763.

Officia naturalia strictissime dicta, vltra custodiam ~~78~~ suum cuique in statu naturali non possunt extendi. §. 1. Hinc ad multa possum socio externe et naturaliter obligari, ad quae tamen ipsi non obligor lege naturali strictissime dicta. §. 143.

§. 148 ad K. §. 764.

Laesio est oppositum officii erga aliquem,

1) Dei,

2) mei ipsius,

E z

3) ali-

3) alius,

- a) interna, oppositum officii interni,
  - b) externa, oppositum officii externi.
- P. P. p. §. 92. Haec vltima stricte dicta in iure nobis laesio simpliciter dicitur.

Si quid ergo per iura philosophiae negemus in posterum esse laesionem, alter autem laesionem affirmauerit, quoniam officiis internis sit contrarium, a nobis sibi dissentire visus, auctor ille logomachiae censendus erit. L. §. 115.

§. 149. ad K. §. 766.

Denegare auxilium, vel beneficium, non est laesio in statu naturali §. 132. nec ingratitudo simplex, sed qualificata s. praegnans. §. 148.

§. 150. ad K. §. 768.

*Nemo est laedendus, ergo nec in statu naturali.* §. 143, 148.

Neminem laedas, quomodo fiat principium domesticum obiectiuum adaequatum iurium naturalium stricte dictorum P. P. p. §. 92. vidimus. Ex hoc sequitur altera propositio: neminem laedas in statu naturali, principium domesticum obiectiuum iuris naturae strictissime dicti adaequatum. Ex his et §. 143. declaratis primum erit in aliqua demonstratorum serie, ex quo alterum deducitur, postquam

quam ipsum independenter ab altero demonstratum fuit.

§. 151. ad K. §. 769.

DAMNUM est effectus laesionis in laeso. Quicquid non est effectus laesionis in laeso non est damnum. L. §. 202.

§. 152. ad K. §. 770.

Cui damna inferenda sunt, laedendus est. §. 151. Iam nemo laedendus est, §. 150. Ergo nemini damna inferenda sunt.

§. 153. ad K. §. 771.

Defectus naturales s. damna naturae, mala s. damna fortunae, denegata auxilia, vulgaris humanitas, beneficia, gratus animus, non sunt damna §. 149, 151.

§. 154. ad K. §. 772.

Quando ius naturae late dictum commodius philosophiam practicam dicimus, eiusque scientias obligationum internarum commodius prudentias, solas obligationum externarum scientias iura naturalia dicimus: in his nobis *ius* tantum erit 1) complexus legum externarum, 2) facultas moralis externa. Ergo ius naturae strictissimum non est, nisi 1) complexus legum externarum in statu naturali §. 1. 2) facultas hominum moralis iisdem in statu naturali secundum externas eius leges

conueniens hinc qualitas, si non attributum, personae, §. 36, 34. P. P. p. §. 64.

§. 155. ad K. §. 774.

Facultas moralis excipiendi a lege striete dicta vel est ex lege alia externa magis obligante, et ius est, vel ex lege interna, et fauor potius, quam ius, necessitatis dicitur. §. 154.

§. 156. ad K. §. 775.

Omne ius meum meum est, hinc omne meum ius simul est ius extorquendi ab aliis, a quibus hoc eorum officium externum aliter obtineri nequeat, ne me impediant in vsu iuris mei legibus externis non contrario: i. e. omne ius simul est ius cogendi, §. 135.

§. 157. ad K. §. 781.

Sicut quoddam ius acquisitum tamen naturale est, ita nec omne connatum ideo statim naturale est. §. 137.

§. 158. ad K. §. 785.

EXERCITIUM IURIS MEI siue dicatur determinatio libera, ad quam ius habeo, siue crebrior actionum eiusmodi repetitio M. §. 577. siue sit officium in Deum, siue in memetipsum, siue in alium, ad augendum ipsius suum, siue non sit; extorquere tamen id alter a me iure non potest, eiusdem  
omis-

omissione non laedendus. §. 150. Si quis omissione eiusmodi vere et stricte laedatur, huic oppositam actionem a me iure extorquere potest, sed non vt exercitium iuris mei, sed vt officium stricte dictum. §. 125, 126.

§. 159. ad K. §. 797.

Habitus hominis alterius suum (iuris) non imminuendi est IUSTITIA, (virtus, honestas) EXTERNA; Habitus suum alterius quodcunque augendi BENIGNITAS, (verecundia,) ACTIONES, quae legibus externis conueniunt, sunt EXTERNE IUSTAE, et quidem SENSU AIENTE, mandatae: et SENSU NEGANTE, licitae. Inter iustum sensu aiente et iniustum datur EXTERNE INDIFFERENS, licita, iusta sensu negante ACTIO, et haec iterum vel interne quoque licita est, non nisi bona, hinc interne mandata, vel externe tantum licita, interne iniusta. In iure liceat externe iusta et iniusta iusta et iniusta simpliciter dicere sine metu logomachiae. L. §. 115.

§. 160. ad K. §. 779.

IUSTITIAM HOMINIS VNIVERSALEM si dicas custodiam legum omnium: omni virtuti coextenditur §. 41. et sub se comprehendit IUSTITIAM PARTICULAREM

E 4

REM

REM habitum omnium officiorum erga alios, quae Aristoteli *χρησις της ολης αρετης προς αλλων*. Haec denuo subdividitur in EXPLETRICEM tantum s. externam, habitum non laedendi §. 159, et internam s. ATTRIBUTRICEM, habitum officiorum internorum erga alios. Expletricem et externam per iura philosophica dicemus iustitiam simpliciter.

§. 161. ad K. §. 806.

BELLUM (hostilitas, inimicitia externa) est status hominum, quo alter alteri mala inferendi declaratum vterque decretum habent. Status bello oppositus s. absentia belli est PAX EXTERNA.

§. 162. ad K. §. 806. S. I.

MALA physica vel ipso iudicio sensuum agnoscenda pro talibus ab illo, cui insunt, vel inferuntur, mala SENSUS sunt. Mala sensus tristiora phaenomena si orientur alicui homini per vim alterius hominis, ea quidem huius vis simpliciter s. VIOLENTIA dicuntur. Status sibi mutuo vim inferentium est PUGNA. Extorsio et extorsio violenta possunt distingui. M. §. 728.

§. 163. ad K. §. 806. S. 2.

ACTUS HOSTILITATIS est, quo hostis hosti actu malum infert. Pactum hostium

stium temporarium de cessaturis hostilitatis actibus, sunt INDUCIAE, de omnibus TOTALES, de aliquibus, PARTIALES, s. limitatae.

§. 164. ad K. §. 806. S. 3.

Actiones erga alium, actionibus ipsius in nos, quas pro laesionibus alter non agnoscit, quantum fieri potest, congruentes, sunt REPRESSALIAE. Quae in ipso bello locum habent, quando vna pars in alteram patrat, quae nec in hostem quidem licere, sed ipsum ius belli laedere passa putat, non agnoscentē parte, quae malum huius indolis intulerat.

§. 165. ad K. §. 808.

Si ipse alterum non laesero, confectarium inde tale praeuidendum, sine quo non-laesio mea non potest existere, erit pax externa, quotiescumque nec alter me laedat. §. 148, 161. Hinc non-laedens actuat s. colit ex parte sua pacem. Iam nemo laedendus est. §. 150. Ergo colenda pax est, ex parte nostra. §. 120.

§. 166. ad K. §. 810.

BELLI ET PACIS IUS plerumque strictius est ius gentium. LATIUS si dicas ius, complexum legum externarum, ius, facultatem his concessam, circa bellum

E §

quod.



quodcumque vel pacem externam versantia : naturale cum iure naturae stricte sumto coincidit §. 36. Principium adaequatum I. N. strictissime sumti §. 143. erit etiam principium iuris belli et pacis, quatenus ad ius naturae strictissime sumtum pertinet. P. P. p. §. 87 - 93.

§. 167. ad K. §. 868.

Si licitum, iustum, bonum, significatu negante, saltem, §. 159. ponatur aliquid externe per forum externum rationis et naturae iuribus coëxtensum, §. 60; idemque ponatur illicitum, iniustum, malum interne per forum aliquod internum, vel ipsius rationis et naturae, vel etiam Christianismi: neque tamen hinc dicta fora sibi vere contradicunt, quia non loquuntur de eodem eodem respectu, nec idem est, omnino permissionis, iustitiae, bonitatis significatus et conceptus, qua qualitatem et quantitatem, ut ita dicam, specificam, qui de eadem actione, de eodem subiecto affirmatiue praedicatur per forum externum, et negatiue praedicatur per forum internum. L. §. 182.

Hinc semper tenendum et libere profitendum est, si iustitia nostra non fuerit, nisi externa, infimus tantum iustitiae et virtutis et honesta-

statis yniuersalis gradus §. 160, nos ne posse quidem ingredi coetum virtuti naturaliter, at intensius, castius, sanctius, deditorum, multo minus regnum coelorum. Sicut iura positua quaecunque non addiscuntur, non docentur a viris et ciuibus rigidius bonis, vt iis explendis acquiescant vnice vel ipsi, vel in ipsoꝝ disciplina succrescentes istozum iurium studiosi: par est ratio iurium naturalium omnium, et iuris naturae strictissime dicti. Si naturalis ratio quaedam externe permittat homini, quae disuadent Christiano veri nominis supernaturalia reuelationis consilia: mirum illud esse videatur illi, qui de necessitate posterioris ad salutem convictus est? Hinc disperebit nubecula, vel contra ipsum primum iurium naturalium principium, eiusque rationem §. 125. expositam, tanquam antithesin, monentium, per leges Christi non licere omni homini, quodcunque suum iuris ab omni alio homine vel extorquendo repossere. Haec enim veritas ad nostram thesin se non habet, vt antithesis. L. §. 511, 512.



PARS



# PARS I.

AD

EXERCITATIONEM K. V.

## IVS IN LAESOREM.

CAPUT I.

### IVS AEQUALITATIS.

§. I. ad K. §. 889. n. I.

**I**n statu hominis morali vel abstrahitur ab omnibus eius determinationibus ex peculiari societate, vel quaedam eiusmodi determinationes simul attenduntur. Posterior est STATUS HOMINIS SOCIALIS, prior STATUS HOMINIS NATURALIS sociali contradistinctus,

§. 2. ad K. §. 889. n. 2.

**I**n statu hominis sociali vel abstrahitur ab illis determinationibus, quas homo ut membrum civitatis habere potest, vel ad eas simul attenditur. Posterior STATUS HOMINIS CIVILIS est, prior SOCIALIS NATURALIS contradistinguendus naturali,

li, sicuti §. 1. definitus est, ut minus determinato et civili, ut magis determinato. M. §. 149.

§. 3. ad K. §. 889. n. 3.

In statu civili vel abstrahitur a determinationibus particularibus, quae non sunt omni civi communes, quas tamen in civitate nancisci potest civis, vel ad eas simul attenditur. Posterior STATUS est CIVILIS ADVENTITIUS, prior CIVILIS NATURALIS.

Huius notius et in iure civitatis etiam philosophico magis evoluendum exemplum est status civilis distinctio in priuatum et publicum. Qui status quum in republica viventibus soleant esse notiora phaenomena, bene per illos illustratur, quod hic de statu naturali §. 1. respectu reliquorum apprime tenendum est. Ad statum civis priuatum si accedat publicus, dum insignitur aliquo munere publico, idem contingit in aduertentibus, quod hic difficilius animis euellitur in conceptu minus in sensus incurrente. Videtur eiusmodi persona iam publica statum amisisse priuatum, nec amisit tamen, nisi exclusiue sic dictum, priuatum tantum, solummodo priuatum. Reuera bene multa iura et officia status priuati coniunxit tantum cum nouis superuenientibus iuribus et officiis publicis. Pari ratione fallitur, qui statum hominis naturalem §. 1. definitum amissum putat iis omnibus, qui in familias ciuitatesue coeunt. Fallitur, qui restare sociis solum §. 2, restare  
civi.

ciuibus solum §. 3, definitum iudicat statum naturalem, si quid ipsis adhuc a natura dicendum superfit. In quouis nunc ciue nostro superstes adhuc est triplex ille status naturalis hominis, focii, ciuis, etiamli lumen maius aduentitiorum alicuius statuum horum minus lumen obscurare possit. Ad philosophicam ergo iuris *απροσώποληψια* personas eiusmodi sensim detrahimus, donec deueniamus abstrahendo ad Alpha statuum moralium §. 1, definitum statum naturalem, a quo tanquam principio reliquorum methodus synthetica incipit. L. §. 297, 298.

#### §. 4. ad K. §. 889. n. 4.

In iure naturali nostro et Ethica **STATUM NATURALEM** intelligimus secundum §. 1. eumque indiuidualem, qualis in singulis hominibus deprehenditur. Hic iterum vel **ILLIMITATUS** in illo homine est, qui cum eo non habet magis determinatum, vel **LIMITATUS** in illo homine, qui cum eo habet etiam magis determinatum.

Logomachias ergo serit noxias, qui iuris naturae nullum nunc, aut paene nullum usum esse clamaturus, vtiliter accipere se simulat confitentes reos eius doctores, quando ajunt se statum naturalem in eodem considerare, hunc autem vel fraude vel ignorantia cum illimitato solum confundit, sed etiam fictis eiusmodi solitariis, quales sint forsitan Robinsonii cuiusdam, ad desertam insulam qui solus naufragorum enatet etc,

§. 5.

## §. 5. ad K. §. 891.

QUANTUM est, vel phyficum vel MORALE, et hoc iterum vel a pactis nullis pendens, quod STRICTIUS NATURALE dici potest, vel PACTITIUM, a pactis pendens.

Exemplum esto primi connata corporis integritas et vigor, aetas, statura, moles, secundi ingenium latius dictum et indoles vel felicior vel infelicior, tertii concessa canis praecedentia, promissa heris obedientia, agnita per aequales nobilitas vni homini sic tribuenda, vt quantum eius alteri denegandum sit.

## §. 6. ad K. §. 893.

Omnium quantitatum moralium pactitiarum diuersitas ex statu naturali exsultat.

§. 5, 1. Status naturalis non est status inaequalitatis pactitiae.

Pone duos homines in statu, in quo primus obligare secundum externe potest ad pactum secum ineundum: hi iam non viuunt inter se in statu naturali secundum §. 1. licet secundus respectu aliorum hominum possit in eodem viuere. Sicut in statu naturali illimitato non sunt inaequalitates pactitiae inter homines in eodem constitutos, ita in statu naturali limitato a pactitiis his abstrahitur omnibus, etiamsi non negentur adesse.

§. 7.

## §. 7. ad K. §. 894.

Cum cognitio mea ad meum iuris pertineat, Prolegomen : §. 135. et in statu quidem naturali ad meum strictius Proleg. §. 136. M. §. 730. ius habeo ad ea utendum ad agnoscendas hominum inaequalitates, etiam naturales §. 5. Sed habeo etiam ius ad ea non utendum ad hunc finem, modo non utar contra leges externas. Proleg. §. 135. Hinc, si non agnosco inaequalitates hominum naturales, quas agnoscere non pactus sum, neminem laedo, quicum in statu naturali viuo, §. I. Proleg. §. 150. et agnitio earum ab aliis in hoc meo statu mihi non potest extorqueri. Pr. §. 146, 158. Si INAEQUALITATEM INTERNAM dicas quae vere inexistit hominibus, et ad quam hinc in iis agnoscendam posset forsan aliquis obligari interne: haec in foro iuris naturae externo non attenditur, P. P. p. §. 194. dum hic solam quaerimus AEQUALITATEM VEL INAEQUALITATEM EXTERNAM, ad quam in homine agnoscendam alter homo externe obligatur. Pr. §. I.

Conferri hic potest dissertatio, quam scripsi, *de aequalitate hominum inaequalium naturali*. Nolim enim in his primis iuris scientifici fundamentis iam ad fictiones cum plerisque recurrere.

§. 8.

§. 8. ad K. §. 895.

Canonis: status naturalis hominum est status aequalitatis, hic sensus prodit:

- 1) In statu naturali non dantur inaequalitates pactitiae; §. 6.
- 2) Ad agnoscendas inaequalitates naturales nemo potest alterum extorquendo cogere; §. 7.
- 3) Ergo haec aequalitas omnimoda non est, nisi externa, neque tamen ficta, sed vera, iure admittenda §. 7. dicenda, si mauis, ius aequalitatis externa omnimodae, ius gerendi me erga alterum, tanquam ipsi omnino aequalem, qui si forte me putet errare cet. ius tamen non habet ideo se a me laesum censendi. Pr. §. 150.

§. 9. ad K. §. 896.

IMPERIUM est ius aliis ferendi leges strictae dictas, s. commutandi aliorum actiones externe indifferentes in externe debitas.

Probe inhaereamus notioni legum strictae dictarum, earumque ferendarum ius ne patiamur confundi cum iure dudum latarum obligationes significandi tantum, vel proponendi. Sic via minus iusta praeccludetur a *αγορανομία* ad solia.

§. 10. ad K. §. 897.

*Superior* s. imperans ne confundatur cum SUPERIORE SIGNIFICATU LATIORE  
F ma-



magis honorando. Qui externe obligatus est ex alterius externa lege vivere, huic SUBIECTUS est et INFERIOR, seruus significari lato, subditus. Tantum subiectus, quantum subiectus esse homo homini potest, est in seruitute plenaria, s. MANCIPIUM. Inter seruum latius dictum ad parendum externe obligatum, et inter mancipium, multi intersunt gradus subiectionis s. seruitutis latius dictae.

§. 11. ad K. §. 898.

Imperium in statu naturali superiori maius quantum tribueret, quam haberet inferior: §. 10. hoc non esset pactitium §. 6. E. naturale strictius §. 5. E. illius agnitio non posset ab aliis extorqueri §. 7. E. nec posset extorqueri consequentia huius agnitiois, quae sine eadem existere non posset. Talis autem est obedientia. E. in statu naturali ad obedientiam non posset cogi, i. e. non esset subiectus §. 10. In statu naturali nec seruus est, nec imperans.

§. 12. ad K. §. 899.

In statu naturali alter in alterum imperium affectare vi non potest §. 11. Pr. §. 162. alias enim non licitum solum est prudentioribus, sed possunt etiam nonnunquam interne obligari ad imperium sibi conciliandum. Pr. §. 148.

§. 12.

## §. 13. ad K. §. 901.

Ius praecedentiae in statu naturali negamus, non tamen negamus aptitudinem quantamcunque. §. 8. P. P. p. §. 64.

## §. 14. ad K. §. 902.

In statu naturali quod vnus ius est in alios, est omnium in ipsum, et quicquid externe debeo vni, externe debeo omnibus, externe mihi debent omnes. §. 8. Hinc imperium et ius praecedentiae non habent rationem sufficientem in statu naturali, quae ergo habent, habent in statu sociali. §. 1.

## §. 15. ad K. §. 906.

Si non respectu omnium hominum homo nascens instructus est iure aequalitatis, §. 10, saltem est respectu plurium, scilicet eorum, quibuscum est in statu hominis naturali. §. 1.

## §. 16. ad K. §. 908.

Non dantur serui natura tales, i. e. homines, in quorum statu naturali esset ratio sufficiens seruitutis. §. 14. Iam natiuitas est hominum etiam in statu naturali §. 1. E. non datur seruitus a sola natiuitate pendens. Conceduntur, tamen serui, dum nascuntur vti vernae, sed non tan-

tum, quia nascuntur: et homines ingenii feruili, qui posteriores si dicantur ferui natura tales, dantur etiam in statu naturali, sed sine obligatione perfecta paren- di, §. 11. hinc non vere ferui sunt, §. 10. et liberi ferui parentum naturales, §. 15. licet non pleni seu mancipia. §. 10.

§. 17. ad K. §. 910.

**LIBERTAS EXTERNA RESPECTU IMPERII** (*a seruitute*) est status hominis, in quo alter homo nullum in eundem imperium habet: seu, ius alterum hominem non agnoscendi pro imperante suo. §. 10.

§. 18. ad K. §. 912.

**LIBERTAS** (externa ab imperio) **NATURALIS** est, ex statu naturali resultans.

Possum liber dependere ab alterius arbitrio, dum consulit, suadet, rogat; quam primum autem iubet, exercet ius iubendi, leges que ferendi externas, et hoc ego ius eius agnosco, perit libertas.

§. 19. ad K. §. 915.

Homines, in statu naturali prorsus illimitato per alios status qui viuunt, viuunt in libertate naturali tam respectu aliorum hominum, quam respectu suarum actionum vniuersali, §. 18. hinc in externa quidem

dem summa, possunt tamen in summa servitute morali et affectuum esse, sub horum et sensualitatis imperio, serui peccati (interne). M. §. 730.

§. 20. ad K. §. 917. n. 1.

IUS DICERE est factum alterius ita imputare, vt effectus lege constituti ab ista imputatione sufficienter dependeant, i. e. valide. P. P. p. §. 180. Ius iuris dicendi est IURISDICTIO, supponit IUS COGNOSCENDI CAUSSAM (de causa) s. indagandi quaestiones facti, licet huius vberius exercitium possit aliis demandari. P. P. p. §. 128.

§. 21. ad K. §. 917. n. 2.

Ius iuris dicendi habens vel habet illud per imperium, et est IUDEX, vel non per imperium, et est ARBITER.

§. 22. ad K. §. 917. n. 3.

Arbitri in statu naturali ius causae cognoscendae non esset pactitium. § 6. Tamen ipsi, non aliis, competeret, quorum causam cognosceret. §. 20. Hinc inaequalitas moralis §. 5. E. ad agnoscendum eius ius alii non essent externe obligati. §. 7. Hinc nec esset arbiter. §. 20. 21. In statu naturali non datur arbiter. §. 1. 4.

## §. 23. ad K. §. 918.

Nullus iudex sine imperio §. 21. in statu naturali nullum imperium §. 19. E. nullus iudex.

## §. 24. ad K. §. 919. n. 1.

PUNITIO est actualis connexio poenae a lege stricte sic dicta determinatae in CONDEMNATUM, i. e. eum, cui ius dicens legis violationem imputavit. In statu naturali nemo condemnatur. §. 23. 22. E. nemo habet ius puniendi alterum.

## § 25. ad K. §. 919. n. 2.

Punitio non est

- 1) illatio poenae naturalis aut divinae ab incio vel inuito facta,
- 2) laesio, quae laeso respectu fori interni poena est,
- 3) recuperatio mei etiam violenta, ad quam vtrique ius habeo. §. 24.

## §. 26. ad K. §. 920.

STATUS LICENTIAE est status hominis, cui nullae leges externae praescriptae sunt, et est impossibilis. Prol §. 141.

## §. 27. ad K. §. 921.

Non omne, quod libet, in statu naturali, licet, ne externe quidem §. 26, licet omne, quod liber rationalem, qua talem, liceat in omni statu. P. P. p. §. 44.

§. 28.

## §. 28. ad K. §. 939.

Seruitus plenaria omnem omnino independentiam actionum, quae imperio humano subesse possunt, et libertatem externam, etiam naturalem respectu domini tollit §. 17, 18. oranem, quae tolli potest. §. 10. Datur enim utique libertas ratione imperii e. g. in internis, quae tolli in nullo mancipio potest. Huc libertas religionis internae et philosophandi mentaliter, P. P. p. §. 184.

## §. 29. ad K. §. 940.

Seruitus externa minima esset, qua actio vnica minima externa vnici maximi ceteroquin hominis alterius subesset imperio. Quo ergo plures, quo grauiores actiones externae, quo plurium, quo minus dignorum hominum imperio subsunt, hoc magis augetur externa subiectio §. 10.

## §. 30. ad K. §. 941.

Status naturalis est status pacis male fidae, quia 1) si quis velit, facilius potest vnicum hominem superare laedendum, quam totam societatem, 2) laesiones in eodem diiudicatu difficillimae sunt, §. 23, 22. 3) componi difficiliter possunt, §. 4.

## §. 31. ad K. §. 942.

Quicquid nobis pacem 1) securiorem reddit, vbi adest, 2) facilius restituit, vbi

cesserat, 3) tollit multas necessitates eam abrumpendi, vel hinc nobis perutile. Atqui status omnis socialis ob communem securitatem et praesertim civilis et pacem securiorem reddit, ubi adest, et facilius restituit, ubi cesserat, et multas necessitates tollit eam abrumpendi. Hinc vel hinc iam perutile est, statui hominum naturali superaccedere socialem eiusmodi et praesertim civilem. §. 1. 3.

## CAPVT II. IVS LAESI GENERATIM.

### §. 32. ad K. §. 945.

**L**aesionem et damnum in posterum ex Prol. §. 148, 151, metimur, hinc nec damnum nobis per iura philosophica latius est definitione data, neque tamen ad eo restrictum, ac damnum iniuria datum iuris romani Inst. L. III. t. 3.

### §. 33. ad K. §. 949.

Nolitio diligentiae externae debitaest  
**DOLUS IN FORO EXTERNO.** Non volitio eiusdem sine dolo est **CULPA EXTERNA.** Prol. §. 100.

### §. 34. ad K. §. 950.

Cuiuscunque diligentiae debitaest omisio  
altre-

alterum laederet, ei oppositam non solum malitiam, sed et culpam ius naturae vetat. Prol. §. 150.

§. 35. ad K. §. 960.

In iis casibus, vbi meum imminuunt, quae auctores non sunt, aut determinantur ab auctore, hinc in illum mihi ius vel dolose vel culpose laesi in laedentem, §. 34. competit, aut non determinantur ab auctore. Si posterius, et vtor iure meo meum proportionate conseruandi, nemini facio iniuriam. Prol. §. 158.

§. 36. ad K. §. 964.

Damnum inferitur vel per ACTUS DI-VIDUOS, i. e. diuisim imputandos. Prol. §. 110. P. P. p. §. 152; vel per INDIUI- DUOS, i. e. pro indiuiso s. in solidum, singulis imputandos. Pr. §. 110. P. P. p. §. 152.

§. 37. ad K. §. 970.

Brocardicorum: 1) Qui vtitur re sua, 2) qui vtitur iure suo, nemini facit iniuriam, posterius explicat prius. Qui ita vtitur re sua, vt simul vtatur iure suo, nemini facit iniuriam. Iam vero vsurus re sua ad me laedendum, non vteretur iure suo. Pr. §. 150. P. P. p. §. 67.



## §. 38. ad K. §. 971.

Actio iniusta est laesio. Vbi non est laesio, non est actio iniusta. Nulla actio iusta est laesio Pr. §. 159.

## §. 39. ad K. §. 972.

Malum ortum alteri ex laesione mea est damnum. Malum ergo ortum alteri ex actione mea iniusta damnum est. §. 38. Pr. §. 151.

## §. 40. ad K. §. 973.

Nos ordine conseruando nemini damna inferimus. §. 38. Casus enim extraordinarii dabunt fauorem necessitatis, de quo infra specialiter.

## §. 41. ad K. §. 974.

Vsum virium nostrarum iniustum erga se, alter physice per vim impedire ius habet. §. 39. Pr. §. 162.

## §. 42. ad K. §. 982.

IURA sic certis conditionibus nixa, vt nonnisi posita hypothese ad nostrum pertineant, HYPOTHETICA sunt. HYPOTHESIS PENDET, quam diu potest esse futura, si non amplius potest esse futura, CESSAT.

## §. 43. ad K. §. 983.

Iurium hypotheses vel sunt iura vel minus. Si quis facit cessare hypothesein  
iuris

Iuris alterius, quae non erat ius, infert ipsi DAMNUM IN CONSEQUENTIAM VENIENS, nec tamen laedit Pr. §. 148. nec damnum infert. Pr. §. 151. Nisi hypotheses distinguantur in eas, quae ipsae sunt iura, quaeque minus, omnia paene DAMNA cessarent esse DIRECTA, effectus laesionis in laeso suum iuris eidem intercipientes, et vera, et fierent in consequentiam venientia, apparentia tantum. M. §. 12.

§. 44. ad K. §. 984.

Commissio vel omissio actus indifferens est iusta sensu negante. Pr. §. 159. E. laesio non est. §. 38.

§. 45. ad K. §. 985.

Mala ex custodia officii nostri et iustitiae internae, cum externa iustitia non collidentium, alteri orta damna non sunt. Prol. §. 159, 151.

§. 46. ad K. §. 986.

DAMNUM EMERGENS s. positivum est, cuius oppositum bonum negativae, PRIVATIVUM, cuius oppositum bonum positivae cogitatur. Damnum privativum ex sublata iuris hypothesi est LUCRUM CESSANS. Quod videtur esse lucrum cessans est tantummodo damnum in consequen-

quentiam veniens, si hypothesis sublata non fuit ius: si fuit ius, est damnum directo datum verum lucrum cessans. §. 43.

§. 47. ad K. §. 987.

Si confectaria damni, quod leuius videtur, etiam damna non sint, modo sint mala: non dant quidem belli causam iustificam; sed hoc iam est minimum damnum, tamen augent suasorias. Pr. §. 161.

§. 48. ad K. §. 988.

CASUS IN FORO EXTERNO est euentus ex rationibus externe inuincibiliter ignorandis.

§. 49. ad K. §. 989.

Sicuti nunc de vulneribus conceditur, ita rigorose rem exquirenti patebit nullas laesiones ad mensuram dari, quoniam ob nexum continuum simultaneorum et confectariorum nullus laesurus potest esse moraliter certus laesionem intra gradum propositum substituram. P. P. p. §. 133.

§. 50. ad K. §. 990.

REPARATIO est additio eiusdem ad meum, quod laedens subtraxit.

§. 51. ad K. §. 991.

Idem, quod reparando redditur, vel est prorsus idem, tunc reparatio est RESTITUTIO.

**TUTIO**, vel idem respectu pretii, s. aequi-  
pollens, et haec reparatio est **SATISFA-  
CTIO**.

§. 52. ad K. §. 993.

Reparatio addit idem, quod laedendo  
demtum erat. §. 50. Est ergo aequalis dam-  
no, hinc homogenea; vel eandem ratio-  
nem ad perfectionem habet, quam dam-  
num habuerat ad imperfectionem, i. e.  
damno est proportionata. Prol. §. 151. M.  
§. 572.

§. 53. ad K. §. 995.

Valor boni demti nonnunquam impro-  
prie valor damni dicitur. §. 52. M. §. 337.

§. 54. ad K. §. 996.

Laesus ius habet in subtracta Pr. §. 148,  
illud exercens in ea, quae per laesionem  
ipsi subtracta sunt, nemini facit iniuriam:  
§. 37, adeoque impediens laesi exercitium  
iuris sui in sua, eum de nouo laederet,  
qui ante laeserat, Pr. §. 135, 143. quod in-  
iustum. Pr. §. 150. Laedens continuans  
vsum subtracti, quouis momento conti-  
nuat vsurpationem alieni, Pr. §. 139. hinc  
laedere pergit, quod non licet; Pr. §. 150.  
Ergo qui laeserat, perfecte obligatur ad

- 1) abstinendum ab alieno subtracto,
- 2) non impediendum iuris exercitium,  
quod laesus in id habet, i. e. repa-  
randum damnum. §. 50.

Si

Si meum iuris stricte vel strictissime a non auctoribus imminuatur, ad reparationem detrimenti ius habeo §. 95. Ergo in nocentia eiusmodi ius acquirō proportionatum detrimento, tamdiu utendi pro lubitu iisdem, donec reparatum sit detrimentum. In furiosis civitas praesumit consensum reparandi potius re sua, si quam habere supponuntur, quam corpore et vira.

## CAPUT III.

## IVS FAMAE.

§. 55. ad K. §. 998.

**I**udicium de valore hominis est **EXISTIMATIO GENERALIOR**; de valore hominis morali, **GENERALIS**; de valore hominis morali respectu aliorum hominum s. in commercio mundi, **SPECIALIS** est, de qua hic tantum sermo est.

§. 56. ad K. §. 1000.

**EXISTIMATIO SIMPLEX** s. fama, est infimum honestatis gradum tribuens, non exclusivae, sed abstractivae: infimo maiorem tribuens **EXISTIMATIO INTENSIVA** s. aucta est.

§. 57. ad K. §. 1001.

Custodia habitualis est suum cuique, est infimus honestatis gradus, P. P. p. §. 94.

§. 58.

## §. 58. ad K. §. 1002.

Iudicium aliorum hominum de custodia nostra  $\tau$ g suum cuique, tam actuali, quam habituali est existimatio nostra simplex. §. 57, 56.

## §. 59. ad K. §. 1004.

Qui neminem laedit, nec ad laedendum habitum habet, ei simplex est existimatio tribuenda. §. 58.

## §. 60. ad K. §. 1005.

Existimationi simplici, in commercio mundi, §. 55. secundum communem hominum viuendi modum non obstat vna vel altera leuior forte laesio: modo non creet habitum iniustitiae honestate maiorem. §. 58.

## §. 61. ad K. §. 1006. n. I.

In statu naturali habeo ius de alterius valore iudicandi 1) interne pro lubitu, P. P. p. §. 180. 2) externe ita, vt non laedam, Pr. §. 150. Quodsi vero vellem ab aliis hominibus extorquere, vt infimum honestatis gradum ipsi denegent, forsan et ipsum, saltim illos laederem. §. 7. E. in statu naturali denegatio infimi honestatis gradus, huic illiue denegandi, non est officium ab vilo homine extorquendum. P. P. p. §. 92.

§. 62.

## §. 62. ad K. §. 1006. n. 2.

In eodem statu a nemine extorquere licet agnitionem existimationis auctae in altero. §. 56, 7.

## §. 63. ad K. §. 1006. n. 3.

Denegans alicui simplicem existimationem nititur alios certiores reddere illum esse habitu laedendi praeditum, §. 60. hinc et hos data occasione certo vel probabiliter laesurum. P. P. p. §. 28, 143. Quo posito, hi in illum ius praeventio- nis nanciscerentur, quod nonnisi in certo probabiliter laesurum, sed in talem etiam omnem cuicumque competere demonstrabitur inferius independenter ab hac paragrapho. Denegans ergo homini in statu naturali iuste viuenti simplicem existimationem eiusdem ius aequalitatis ipsi subtractum it §. 8. eundem ergo laedit. Prol. §. 148. Hinc extorqueri potest non denegatio simplicis existimationis etiam in statu naturali. Prol. §. 156.

## §. 64. ad K. §. 1006. n. 3.

Adde §§. 62, 63, quod existimationis inaequalitates pactitiae non sunt in statu naturali, §. 5. et recte intelliges: in statu naturali existimatio aequalis est, scilicet externe, §. 8.

§. 65.

## §. 65. ad K. §. 1006. n. 4.

IUS HUMANIUS est complexus legum civilium officia humanitatis prudenter in externa mutantium; e contrario complexus legum civilium officia humanitatis imprudenter vetantium esset IUS INHUMANIUS.

## §. 66. ad K. §. 1007.

INFAMIA PERSONAE est habitualis eius iniustitia. FACTA, ex quibus haec patet, sunt INFAMANTIA. Vnde ex iis cognoscenda INFAMIA FACTI dicitur. Non vnum statim alterumue factum iniustum infamat. §. 60. INFAMIA IURIS s. condemnati est confectarium iurisdictionis, hinc in statu naturali non obtinet. §. 22, 23.

## §. 67. ad K. §. 1010.

Infamis est quemcunque probabiliter occasione data laesurus. §. 66. Hinc in infamem licent, quae non licent in omnes in statu naturali, §. 62. Infamis ergo perdidit ius se aliis aequalem gerendi vel in ipso statu naturali, s. statum aequalitatis. §. 9.

## §. 68. ad K. §. 1011.

Cuius pars fit aequalis alteri toti, illud non amittit aequalitatem. Existimationis auctae, civiliter etiam externe debitae, pars fit, aut manet, aequalis toti existimationi-



mationi simplici, iure per statum naturalem tantum attendendae, §. 56. Ergo existimatio aucta, ciuilliter etiam externe debita, non amittit aequalitatem naturalem.

§. 69. ad K. §. 1012.

Infamia personae est habitus moralis, hinc acquisitus, hinc non a natura sola sine exercitio. Ergo nec datur in statu naturali infamia connata. §. 66. Pr. §. 137.

§. 70. ad K. §. 1014.

Si contemptus dicitur iudicium de alterius imperfectionibus exstantioribus, non nunquam etiam internus dicitur non significatus: externus vero significatus s. symbolicus; hunc Koelerus dicit contemptum simpliciter. Ne confundatur haec diuisio et subdiuisio Koeleri L. §. 105. contemptum declaratum alteri, imperfectiones etiam in foro externo attendendas tribuentem dicimus **CONTEMPTUM DECLARATUM EXTERNUM.**

§. 71. ad K. §. 1015.

Iustitia expletrix est infimus specie perfectionis moralis gradus, probitas sine hac non concipienda est medius specie perfectionis moralis gradus, pietas sine illis non

non concipienda est summus specie perfectionis moralis gradus, Externe iustus beatus est, ex probitate iustus beatior, iustus et probus ex pietate beatissimus, si speciem attendas beatitudinis, cuius gradus de quo variare possit in indiuiduis. Hinc ne externe quidem iustis, etiamsi non probi solum, sed et pii censerentur velint, summus imperfectionis moralis gradus specie talis conuenit. Solus externe iustus beatus est. M. §. 787.

### §. 72. ad K. §. 1016.

Habitualis violatio iustitiae externae est gradus specie summus corruptionis moralis, quam declaratus externus alicui tribuit summus specie contemptus. Singulares enim hae beatitudines corruptionesue morales, et ex his oriundi contemptus, possunt denuo nunc augeri, nunc minui, etiamsi specie summi §. 71. M. §. 249.

### § 73. ad K. §. 1018. n. I.

Externe iniustum iure contempto, contemptum etiam declarans, etiam externum in statu meo naturali §. 70, 66. Externe iusti si externum contemptum declaro, eum infamem iudico, qui non est. §. 68, 70. Hinc ei iura quaedam sua substractum eo fat multa, fat magna, vel in ipso statu na-

turali, hinc laedo et quidem grauiter. §. 63.

§. 74. ad K. §. 1018. n. 2.

Existimationem simplicem alteri relinquens in statu naturali, sed auctam aliquam illi denegans, forsan falso, declarans etiam hanc suam sententiam signis non infamantibus, nec volens melius edoceri, tamen ob hoc solum non laedit alterum, qui non potest ab eodem extorquere, vt se melius edoceri patiatur de alterius perfectionibus. §. 7, 63.

§. 75. ad K. §. 1020.

Contemptus iustus alterius declaratus externus habitualement violatorem infimi speciei gradus honestatis, hinc summam speciei moralem imperfectionem ipsi vere tribuit, infamiam vere infami. §. 70, 66.

§. 76. ad K. §. 1024.

In sola custodia infimi speciei gradus honestatis nihil perfectionis moralis extantioris deprehenditur. Haec ipsa si cesser, adest in tali subiecto NIHILUM MORALE, vita, in qua nulla bonitas moralis, et quoniam homo neque bonus neque malus moraliter aequae est impossibilis, ac omnino aequaliter bonus, ac malus: in quo non est

est plus nihilo morali, in eo minus est: in quo nulla perfectio moralis, in eodem quaedam imperfectio, et quidem iniustitiæ externæ, hinc et in foro externo attendendæ. §. 71.

§. 77. ad K. §. 1025.

In iure status naturalis ad solam iustitiæ externam reflectitur: hinc hanc non habitualiter et insigniter violantes in hoc statu externe æquales sunt. §. 74, 8.

§. 78. ad K. §. 1026.

Contemptus declaratus externus imperfectiones externas extantiores alteri tribuit. Ergo in statu naturali iniustitiæ externam, solam ius æqualitatis infringentem. §. 77.

§. 79. ad K. §. 1027.

Mala nobis orta ex eo, quod alter nos contemnat declarato, non tamen externo, contemptu, non sunt in statu naturali damna, suasorias augentia forte, non dantia causas belli iustificas. §. 70, 47.

§. 80. ad K. §. 1028.

In foro externo status naturalis ne lædente pro contemptu habeas, si alter tibi nec verbis, nec factis tribuat perfectiones, quantaecunque sint in te vere. §. 7. Ali-

ter nonnunquam in statu civili se res habet.

§. 81. ad K. §. 1029.

Quicquid non est externa iniustitia non meretur contemptum declaratum externum.

§. 78. Paupertas, stupiditas, falsa religio, e. c. generatim non est iniustitia externa, Prol. §. 160. Ergo paupertas, stupiditas, falsa religio e. c. generatim non merentur contemptum declaratum externum.

§. 82. ad K. §. 1031.

SUPERBIA vel simplex, vel magis stultata non pertinet ad ius nostrum, sed INTOLERABILIS arrogantia secum comparatorum aliorum ius aequalitatis in statu naturali violans. §. 63.

§. 83. ad K. §. 1032.

Verba et facta omnia contemptum externum iniustum declarantia sunt iure naturae prohibita. Prol. §. 150.

§. 84. ad K. §. 1034.

Sola iniustitia externa habitualis alterius est causa iustifica declarandi eum pro infami. §. 78, 66.

§. 85. ad K. §. 1035.

Qui magis iustus, quam iniustus est,  
non

non est infamis dicendus inter homines, inter quos a potiori desumitur denominatio. §. 84.

§. 86. ad K. §. 1037.

Potest vnum factum adeo esse insigniter iniustum, vt ad illud vel decernendum vel omnino patrandum vires neminis sufficiant, nisi iam habitum iniustitiae minorum laesionum exercitiis adeptus fuerit. Ex tali facto vel decreto, vel omnino patrato probabilis, immo moraliter certa valet consequentia ad iniustitiam habitualem illius, qui decreuit patrauitque. Non ergo solum vnum factum patratum, sed etiam ipsum enorme quoddam crimen conatus P. P. p. §. 165. est infame, et infamans, a quo concludi possit ad infamiam personae. §. 66.

§. 87. ad K. §. 1039.

Si quaeritur 1) an in statu naturali possit aliquis huc vsque constitutus mereri infamiam, vel demereri potius: affirmatur §. 86, 66, etiamsi concedatur eundem eo ipso statum infra naturalem delabi, ius aequalitatis in eodem omnibus competens amittendo. §. 77, 73. 2) an in statu naturali possit aliquis ita pro infami haberi, vel declarari, vt effectus lege constituti naturali in infamem ex eo iudicio vnice dependeant: ne-

gatur, §. 22, 23 3) an in statu naturali possit aliquis infamia puniri: negatur §. 67, 24. licet non negetur etiam in ipso statu naturali crebriorum actionum iniustarum, immo vnius insignioris laesionis, ut huius infamiam facti comitem, sic vtriusque poenam naturalem esse infamiam personae iusto externo contemptu declarandam a quocunque satis illarum conscio prolubitu. §. 86, 73. 4) an Turcae et Mauri sint latrones habituales; non est quaestio iuris, sed facti, P. P. p. §. 128. 5) an vnum vel alterum latrocinium gentem infamet; negatur quidem §. 60, 85. 6) an gentis infamis singuli infames sint: negatur quidem, praesertim de membris societatis eiusmodi mutis; duae vltimae tamen quaestiones non sunt iuris naturae, sed gentium. Prol. §. 1.

### §. 88. ad K. §. 1040.

Infamia naturalis non nisi ex habituali laesione. §. 84. Haec non nisi ex exercitio factorum externae iniustorum illius, qui naturaliter infamandus est. Ergo naturalis infamia non nisi ex factis illius propriis, de cuius infamia quaeritur. Ergo non ex alienis, quorum ne quidem coactor factus est. P. P. p. §. 152.

### §. 89. ad K. §. 1041.

Si infamis habitum externae iustitiae iam  
vel

vel crebris actionibus iustis, vel insigniter iusto facto probauerit, ex quo probabili-  
ter inter homines constet hunc pristina in-  
iustitia maiorem nunc esse, naturalis et fa-  
cti et personae tandem expirat infamia,  
statusque naturalis a tali resipiscente recu-  
peratur cum aequalitatis iure, vt nunc non  
amplius contemptu externo declarato sit  
prosequendus. §. 77, 78.

### §. 90. ad K. §. 1051.

Laesio famae per narrationem est CA-  
LUMNIA. Calumniator est vel actualis,  
vel habitualis. Hic licet careat infamia  
iuris, tamen habet infamiam personae. §.  
66. Hinc testem veritatis odia parientis,  
etiam aiente sensu iustum, tamen calumni-  
atorem dicere grauis est laesio. §. 74. Prol.  
§. 159.

### §. 91. ad K. §. 1052.

Iustus non est calumniator habitualis, et  
calumniator habitualis ne externe quidem  
iustus est. §. 90.

### §. 92. ad K. §. 1053.

Qui famam nostram minuit, a nobis  
ipsis intemeratam, §. 88. 73. si vel maxime  
per culpam credulitatis fiat, aut per actus  
male consuetudinarios, tamen nos laedit.  
§. 83, 33. P. P. p. §. 166.

G §

§. 93.



§. 93. ad K. §. 1056.

In statu naturali officii nostri stricti non est calumniatores aliorum refellere. §. 90. Prol. §. 147.

§. 94. ad K. §. 1058.

Testimonium pro innocentia alterius non potest extorqueri, nisi per imperium. §. 93, 9.

§. 95. ad K. §. 1059.

Si quis contemptum externum declaret alterius externe iusti, vel hunc calumnie-  
tur adeo frustra, nullum ut inde famae  
damnum hic faciat; est id respectu con-  
temnentis calumniantisue res fortunae non  
huic imputanda, cuius tamen ad laeden-  
dam conatus iniustus manet. §. 78. P. P. p.  
§. 132, 165.

CAPVT III.  
IVS SERMONIS.

§. 96.

In statu naturali homini hominem quem-  
cunque licet alloqui, ipsique dicere quae-  
cunque INNOCENTIA, nec hunc, nec  
alios laedentia. §. 14.

§. 97.

Falsiloquio logico communicans cum  
alte-

altero errorem sibi externe inuincibilem hunc ne culpose quidem laedit. §. 96. P. P. p. §. 187.

### §. 98.

Si renuat, quem alloqueris, sermonem reciprocare, vel etiam audire, quae dixeris, etiamsi non innocentia solum fuerint, sed etiam admodum tibi bona videantur, reciprocationem continuationemue sermonis et auditionem saltem non licet ab eodem extorquere, dum manes ab eodem caeteroquin illaesus. §. 7, 95.

### §. 99.

Beneficium doctrinae et eximendorum alteri errorum in statu naturali nemini potest obtrudi. §. 98. Prol. §. 133.

### §. 100.

In alloquentes superbiam exferens intolerabilem, hos laedit. §. 96, 82.

### §. 101. ad K. §. 1060.

FALSILOQUIUM MORALE s. sermo moraliter falsus, quo deliberato ponimus tollimusue, quae mente non ponimus tollimusue, cum intentione FALLENDI alterum, s. in errorem coniiciendi, nisi signis constet de contrario, per ipsum usum loquendi, sermonis, orationis, terminorum, signorumque definitiones coniunctum est. P. P. p. §. 180, 183.

### §. 102.

## §. 102.

**FIDES** mea, tam qua pono hominem alterum ex mente sua vel loqui, vel agere, quam qua assentior, propter eius testimonium, L. §. 357. meum iuris est, §. 7. et in statu quidem naturali strictius, immo strictissime, Prol. §. 135, 136. Quicumque ergo non-laesorem deliberato fallendo coniceret in errorem, semper malum, illi fidem suam dum surripit aut surreptum it, eundem et externe laedit, Prol. §. 143. ita, ut mala huic laeso ex suo errore, in quem fallendo inductus est, oriunda sint vera damna a fallente illata, Pr. §. 151. Hinc morale falsiloquium erga non-laesorem in statu naturali semper est falsiloquium laedens, s. **MENDACIUM**, licet non semper grauius laedat. §. 32.

## §. 103.

**FIDES EXTERNA** est habitus abstinendi ab omnibus moraliter falsis suae mentis declarationibus alterum (externe, quantumcumque, vere tamen) laesuris. Hinc fides externa, pars externae iustitiae, Pr. §. 160. est habitus abstinendi a falsiloquiis moralibus erga non-laesores, §. 102.

## §. 104.

**QUAERERE** (interrogare) est declarare alteri sese optare mentem eius de re quam  
pam

piam cognoscere. Quærere ex quouis, offerre cuius innocentia licet in statu naturali. §. 96.

§. 105.

Erga quaerentem licet denegare eidem mentis nostrae de re quaesita declarationem, licet oblatoꝝ repulsa quorumcunque cuius erga quemuis in statu naturali, citra superbiam intolerabilem, §. 98, 100.

§. 106.

Si quaerens vel offerens categoricam mentis nostrae declarationem vel acceptationem extorquere, vel omnino vim, vel adeo minetur, vel incipiat omnino, ut fiat certo probabiliter laesurus aut laedens: falsiloquium morale ab omni aequivocatione reservationibusque mentalibus etiam alienissimum, medium modo sit avertendae laesionis proportionatorum, mitissimum, non est mendacium, §. 101, 102.

§. 107. ad K. §. 1061.

Mendacia necessitatis, officiosa, iocosa aut non sunt mendacia, §. 101, 102. aut iure naturae iam prohibita, §. 103, de quibus si non videris, quomodo laesura sint alium, datur et laesio culposa, quam inanimadvertens commiserit, aliquem in omnibus docet §. 102, ac, ubi gravius damnum ex aliquibus alteri te imprudente natum fuerit,

erit, non carebis culpa versutiae §. 103. Pr.  
§. 99. etiam externa. §. 31.

§. 108. ad K. §. 1063.

Falsiloquium morale coram iudice et arbitro, §. 21. ergo omne falsum testimonium in legitimo iudicio foreque competente P. P. p. §. 181. est mendacium, nisi partem, iudicem tamen arbitrumve laedens competentem §. 102.

§. 109. ad K. §. 1065. n. 1.

DISSIMULATIO est non significatio & omissio significationis et declarationis internorum, quae sunt in mente nostra: significatio vero vel declaratio talium internorum, quae non sunt in MENTE NOSTRA i. e. in complexu eorum, quae anima sibi talium est conscia se ponere et tollere, est SIMULATIO.

§. 110. ad K. §. 1065. n. 2.

In statu naturali dissimulare quibuscunque iure licet erga quoscunque, pro lubitu, §. 7. praeter decretum laedendi, quoniam hoc dissimulatum praeter iniustitiam externam sibi propriam, de nouo laedit laedendis suum ius praeventionis surripiens. §. 109, 63.

§. 111. ad K. §. 1065. n. 3.

Omnis et sola simulatio, quae est contra fidem externam, iniusta est. §. 103, 109.

Huc

Huc autem pertinet simulatio amicitiae, vel externae tantum, non erga laedendum modo §. 110, sed erga quemcunque, contra quem decretum hostile formasti, si iura quaedam ipsi subtrahat, quae suum ipsius manent, etiamsi laesor tuus supponatur, de quibus inferius. e. g. §. 54. Pr. 161.

§. 112. ad K. §. 1068.

INIURIA LATISSIME est laesio quaecunque, LATIUS, laesio externa, Pr. §. 148. LATE, laesio honoris, s. CONTUMELIA, STRICTE laesio famae, vel realis, vel verbalis, P. P. p. §. 103. verbalis est STRICTIUS DICTA, (conuicium); agnita pro tali incerto etiam foro humano secundum leges positivas est STRICTISSIME DICTA. Huc calumniae, §. 90, mendacia, libelli, carmina, picturae famosae, §. 103.

§. 113. ad K. §. 1070.

Libelli satyrici sunt poemata dogmatico-elenctica non magis, ac moralistae, famam cuiusquam violantes, nisi degenerent in SILLOS, pulcrius ex parte cogitata scripta, sed maledica, quae famam non infamis aggressa hunc graviter laedunt, §. 74, 112.

§. 114. ad K. §. 1071.

Veritas logica manifesta, (quia occulta veritas et falsitas in foro externo pari passu

su ambulat, P. P. p. §. 180, 182.) non est laesio in statu naturali. §. 7, 73, 96. In civili saepe foro est etiam manifestissima veritas, sed interdicta. §. 112, 9.

## CAPVT V, IVS IVCVNDI.

### §. 115. ad K. §. 1072.

**B**ONUM IVCVNDUM STRICTE DICTUM est cuius finis in proximis primarius est iucunditas sensitiva.

### §. 116. ad K. §. 1074.

Si quis suo iuris et quacunque re sua, ceu bono iucundo §. 115, vtatur ad inde procurandam sibi iucunditatem, etiam sensitivam (etiam imaginariam, etiam huic illiue visam odiosicam et multum incommodificam, etiam ipsi delectando vere malam) ira tamen, vt nullum alium hominem hoc vsu, vel etiam abusu, stricte laedat: quatenus alter homo non habet in statu naturali ius extorquendi omissiones eiusmodi vsus vel abusus, priori ius IVCVNDI NATURALE tribuitur. §. 37. Pr. §. 135, 136.

### §. 117.

## §. 117. ad K. §. 1075. n. 1.

In bonum cuiuscunque iucundum, et eius vsum, vel abusum, externe tamen iustum, in statu naturali nemo habet imperium §. 116, 10, nemo iudex est, nemo arbiter elegantiarum, cuius acquiescere sapor teneatur externe quisquam alius, §. 22, 23, excessus in sectando tali bono visus nemo ius puniendi habet, §. 25, negative saltem iustos et indifferentes externe si qua sequi videantur incommoda tibi, non sunt damna, §. 44. Neque tales vsus boni iucundi reddunt incertiores, vel tollunt vtentis abutentisque simplicem existimationem §. 56, hinc nec illi contrahunt infamiam, §. 66. nec eius propter hos tantum contemptus externus declaratus iustus est. §. 70, 73.

## §. 118. ad K. §. 1075. n. 2.

In statu naturali ius est contra quaecunque bona cuiusuis loqui, §. 96. si vel maxime errares, modo externe inuincibiliter, §. 97. modo tantum loquaris erga paratos audire sponte, §. 98. nec doctrinam melioris obtrudas, §. 99, aut superbiam in iucunde viuentes ex mente sua, forsitan et inuitantes ad imitationem, §. 104, exserens intolerabilem, §. 100, ius est in bonum iucundi quodcunque tibi visum imaginarium

H

mora.



moralis epanorthoseos, ius salis satyrici §. 113: in iustum autem conuicia cum illis forerent iniuriae strictius dictae §. 112, sat graues laesiones. §. 117.

§. 119.

LUDI IOCIUE sunt complexus actuum et sermonum leuiorum ad aliquam breuem inopinamue delectationem sensitiuam comparatorum. Innocentes ad ius iucundi pertinent §. 96, nemini denegandum in statu naturali §. 116. Si quis autem tuo iuris, vel omnino strictius et strictissime tali, inuito te dissensumue declarante, tamen vti nitatur, vel vtatur abutaturue; te laedit, §. 38. Pr. §. 136, 135, magis, si tuum eiusmodi tibi ipsi non est ludus iocusue, sed quod pro iure lubituque tuo pluris, grauioris, sanctioris aestumes, quam vt eodem abuti velis ad breuem aliquam leuiculamque voluntatem sensitiuam, magis, si hanc tui vel illius delectationem ex vsu tui vel abusu tui, pro tuo iure tua iuris censendi mensurandique tibi malam grauiterque detrimens iudicaueris, siue te simul inuitet, siue solus tuo sic vtatur ad ludum iocumue. §. 118.

§. 120.

Sicut existimatio simplex, sic et corpus cuiusuis hominis et singula membra, singulo;

gulorum integritas et indolentia suum iuris est cuius homini connatum, in statuque naturali tale suum strictius et strictissime, §. 14. Pr. §. 136. Si quis itaque vel famam alterius, vel corpus et ad eius incolunitatem indolentiamue pertinentia sibi sumserit ludum iocumue, quibus illudendis uti velit, inuito dissensumque declarante altero: laedit alterum, §. 119, eiusque simul ius aequalitatis, quam primum alteri retorquere ludum iocumue contra se renuat licitum, §. 14, intolerabili superbia, §. 82. Huc referas, qui veras contumelias, iniurias reales, §. 112, aut alias laesiones tentantes easdem simulant §. 111, aut tandem post factum dicunt ludum iocumue contra fidem externam, §. 103, mentientes §. 102.

### §. 121. ad K. §. 1077.

Cuius homini, cuiusvis aetatis et sexus, mulieri, virgini ius in corpus suum, in statu naturali suum strictissime dat ius extorquendi, vel per se, vel per alios, si dissenso solo declarato non possit, ab altero homine quocunque, hic ut absteat a leuioribus etiam actibus vocalisue, his in famam, illis in corpus et membra sua, quae hic ludum iocumue vel putauerit, vel simulauerit dixeritue §. 120.

## §. 122. ad K. §. 1078.

Ius virgini connatum virginittis tam physicae, quam moralis, et ius non castitatis solum sed pudoris etiam et verecundiae pro suo tantum lubitu conseruandae non solum ab eo, qui ius sibi non adquisiuit, tenrata peractaue defloratione, sed etiam contactibus, osculis, aliisque factis in corpus eiusdem, quae ludi iocique dicantur, externe laeditur, quam primum suum ipsa dissensum non ambigue declarauerit.

§. 121.

## CAPVT VI.

IUS DEFENSIONIS VIOL-  
LIENTAE.

## §. 123. ad K. §. 1079.

LAESI IUS extorquendi reparationem, §. 54. illi tribuitur IN INFINITUM, quod intelligas indefinitum in statu naturali, quia 1) quantum damni, et hinc pendens 2) quantum reparationis §. 50. taxandi, 3) huius modum, §. 57. 4) reposcendi modum, locum, tempus externo iure definiendi, determinandique nemo ius extra laesum ita habet, vt ipsum ad acquiescendum extorquendo compellere possit. §. 22, 23. Ne quis

quis ergo hinc somniet ius laesi contra laesorem vel realiter infinitum, vel saltem nullis conscientiae consiliis definiendum et circumscribendum eiusdem vsus, Pr. §. 129. M. §. 248.

§. 124. ad K. §. 1080.

IN STATUM PLENARIAE SECURITATIS NOS ERGA HOMINEM REDEGIMUS, si tot ac tanta impedimenta physica laesionis ab ipso contra nos tentandae actuauimus, vt eum non laesurum moraliter certum sit.

Procul hinc faceffat timida melancholicorum notio, qua plenarie securum aliquis ab altero se non prius putauerit, quam hinc si laedere factum sit absolute impossibile. Iam Hobbesius vidit huc hominem hominem viuum alium nunquam posse redigere. Quique descenderit hoc metu compulsus ad ipsam alterius interneccionem, habet adhuc, quod metuat, si moribundus forte cum Didone dixerit;

*Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas.*

§. 125. ad K. §. 1081.

Ius conuatum est impediendi mediis quibuscunque non laedentibus physice moraliterue laesiones actuales contra nos. Pr. §. 150. Iam moralibus, vel etiam physicis

impedimentis sublata quadam possibilitate ad actualitatem laesionis erga nos requisita necessario, huius laesionis impeditur actualitas. M. §. 221, 55. Est ergo iuris conati tot ac tanta, non solum moralia, sed etiam physica laesionum actuandorum contra quoscumque, modo iusta sint, actuare, conferre, cumulare. impedimenta, M. §. 968. quibus hunc, illum, si fieri potest, vltimum nos laesurum fiat improbable, L. §. 353. hinc moraliter certum nos ab iisdem non laedendos, si vel maxime velint. P. p. p. §. 143, 28. Hinc omnis homo ius habet se mediis iustis quibuscunque redigendi contra quoscumque in statum plenariae securitatis §. 124.

§. 126. ad K. §. 1082.

Qui habet ius ad finem, habet ius ad media, 1) sine quibus finis omnino non potest obrineri, 2) caeteroquin iusta. §. 38. Laesi finis reparationem extorquendi iustus est. Ergo ius habet ad media, violenta etiam Pr: §. 161, non quidem omnia, de quorum tamen precio penes partes tantum in statu naturali sit iudicium externe validum, §. 123. P, P. p. §. 180.

§. 127. ad K. §. 1083.

Alter de laesione sui non potest ideo tantum

tum queri, quia nostri laesionem ipsi reddimus impossibilem quantum iustis externe mediis possumus, §. 125, et eiusmodi redactio nostri nobis licita, si debitam interne nobis iudicauerimus, nisi statum plenariae securitatis erga aliquem non est contra eius existimationem simplicem laesio, §. 60. non est iniuria realis. §. 112.

§. 128. ad K. §. 1084.

REMEDIA completa, s. tot et tanta, quot et quanta ad finem obtinendum requiruntur, FINI dicuntur nunc aequalia, M. §. 342. nunc PROPORTIONATA. Cuius in statu naturali competit ius auertendae a se laesionis Pr. §. 150. hinc et mediis auertendae laesionis, ad hanc auertendam omnino, proportionatis, non extorquentibus solum, sed et violentis, si mitiora non esse proportionata moraliter certus sit. §. 126. Pr. §. 162. Idem ius est laesis ad remedia reparationis extorquendae proportionata, proportionata fini se redigendi in statum plenariae securitatis erga eum, qui iam laedendo probabilius reddidit, ac alias fuisset, se laesurum. §. 84, 123. Ultimo fini contra hunc possunt media proportionata iusta esse, quae contra non laesorem iniusta forent, §. 125.

H 4

§. 129.

## §. 129. ad K. §. 1085.

Qui habet ius ad finem, habet ius ad impedimentorum remotionem 1) quibus non remotis finis obtineri non potest. M. §. 342, 2) caeteroquin iustam, §. 126. Hinc ad impedimenta iusti finis remouenda sola ius habes 1) quae sunt, non videntur tantum, 2) futura sint non tantum possint esse, M. §. 885. 3) tollant, non tantum obtentu difficilius reddant, ius, de quo quaeritur, 4) caeteroquin innocenter, §. 96. e. g. sine laesione tertii, remoueri possint. Alias enim potius ex iniustitia remotionis impedimentorum valet consequentia, te ius in quaestione vel prorsus non, vel nondum habere. §. 125.

## §. 130. ad K. §. 1086.

Iusta sunt remedia auertendae laesioni proportionata, §. 128. etiam DURIORA, maiora mala physica, Pr. §. 29, 162. Horum tamen durissimum non est IUSTO DURIORUS i. e. maius malum laesori physicum inferens, quam ad finem requirebatur. §. 39.

## §. 131. ad K. §. 1087.

Si remedium mitius auertendae laesioni proportionatum fuisset, bellum est iusto durius,

rius, §. 130, si vel in bellis sit mitissimum  
Pr. §. 29, 161.

§. 132. ad K. §. 1091.

Bellum, utrimque esse posse

I. iustum

1) affirmatur

A) si de successibus eiusdem belli partibus velis intelligi, cuius e. g. initia potest pars una iuste caepisse continuans iniuste, iuste forsitan finiens, altera incipientem iniuste, iuste continuante, finiente forsitan iniuste.

B) si iustitiam internam vni parti tribueris, externam alteri.

C) si utrimque solam iustitiam tituli velis attendere, nunc abstrahens ab exercitii iustitia.

D) si iustitia exercitii etiam propter causam vere iustificam sit apud vnam tantum partem, sed apud alteram iustitia per ignorantiam errorumve externe inuincibilem.

2) negatur, si iustitia exercitii externa propter causas vere iustificas,

A) toti utriusque partis bello

B) simultaneo cuius huius belli statui breuiori tribuitur. Tunc enim

H §

sem-



semper altera tantum pars est vim iuste propulsans.

II. iniustum

1) affirmatur

A) si de toto bello dixeris de successibus eius partibus accurate dicenda.

B) si iustitia interna certi maioris gradus utrique belligerantium parti denegetur.

C) si desit utrique parti ius armorum, hinc neutra gerat bellum titulo iustum.

D) si pars utraque causae belli iustitiae sit prorsus incuria.

2) negatur in statu naturali totum externe utrimque iniustum, §. 87, 63.

§. 133. ad K. §. 1092. n. I.

In statu naturali cum sola laesio tui propulsanda sit CAUSSA BELLII IUSTIFICA reddens eius exercitium a te suscipiendum externe iustum ex veritate rei Pr. §. 150, 162: iustum in eodem non est hoc significatu susceptum tantum pro aliis tecum in hoc statu constitutis, aut omnino mercenarium pro talibus, quos iniuste bellantes aurumas, §. 26, 84. P. P. p. §. 153.

§. 134.

§. 134. ad K. §. 1092. n. 2.

A causis belli iustificis, quo conseruandum restituendumue virium aequilibrium non pertinet, differunt 1) SUASORIAE BELLI CAUSSAE, complexus caussarum impulsuarum, ex quibus bellum prudenter suscipi posse, si iuste possit, colligitur, quo virium dictum aequilibrium, 2) occasiones, 3) principia belli, primique hostilitatis actus. §. 133. Pr. §. 163.

§. 135. ad K. §. 1093.

Bella, quae absque intuitu laesionis auerendae, vel vero vel falso intra gerentes suscipiuntur, LATROCINIA sunt. Ergo diiudicare, num alterius bellum sit latrocinium, non caret difficultate. P. P. p. §. 183.

§. 136. ad K. §. 1094.

HOSTES LATIUS sunt, inter quos bellum est, (vel inimicitia externa mutua,) inter quos pax est, (vel amicitia externa,) sunt non-hostes, vel AMICI EXTERNI. Hostis latius vel cum hoste suo bellum gerit, et contra eum inimicitiam externam exferit, quia hunc laesorem sui autumat, HOSTIS STRICTIUS DICTUS, vel contra inuocentem ex ipsius aggressoris iudicio, LATRO.

§. 137.

## §. 137. ad K. §. 1095.

BELLA ex solo instinctu suscepta sunt FERINA. Non iustum solum hostem, sed et strictius dictum praecipitanter §. 135. latronem dicere, vel vti talem tractare vel le grauis est laesio, §. 67, et iniuria. §. 112.

## §. 138. ad K. §. 1096.

Qui sibi mutuo mala inferendi declaratum decretum non habent, sunt amici externi. §. 136.

## §. 139. ad K. §. 1097.

Qui nobis nostrum, cui nos suum tribuimus, de iure noster est amicus externus, §. 138. Pr. §. 143.

## §. 140. ad K. §. 1098.

Externe iustum pro amico externo iustos habere fas est omnes, ab habitu ad actum probabiliter argumentando. §. 139. Pr. §. 160. P. P. p. §. 28.

## §. 141. ad K. §. 1101.

Si quis alterum oderit, est inimicus eius internus actiuus, non passiuus, nec adeo sunt mutui, nisi priorem et alter oderit: seu quis oderit alterum, siue minus, si decreuerit, decretumque declarauerit alteri  
mala

mala inferendi, fit inimicus alterius exter<sup>2</sup>  
 nus actiuus, manifestius si declarauerit per  
 actum aliquem hostilitatis, et hinc eius pa-  
 teat animus hostilis actiuus. Tunc et alter  
 priorem oderit, vel minus, in priori de-  
 mum casu fiunt inimici mutui interni. Sint  
 inimici interni mutui, vel minus, quorum  
 vnus animum hostilem declarat, et fit al-  
 terius inimicus externus actiuus: tunc ta-  
 men demum hostes fiunt, si et alter decre-  
 uerit priori mala inferre decretumque de-  
 clarauerit, vnde inimicitia externa mutua,  
 per vim contra vim prioris, vnde hostili-  
 tas (mutua) §. 136. Pr. §. 162.

§. 142. ad K. §. 1104.

Actus hostis, quo se contra hostem per  
 vim in statum plenariae (saltim ad tempus)  
 securitatis redigit, est VICTORIA.

§. 143. ad K. §. 1105.

Qui malum alteri, physicum etiam, fen-  
 sus etiam, violentum etiam infert, vehe-  
 menter auersatus causam huius suae vio-  
 lentiae iustificam laesionem sui, §. 133. non  
 autem personam laeſoris ita, P. P. p. §.  
 10, vt huius imperfectione datis malis po-  
 sita vel ponenda gaudeat, sola gaudeat in-  
 demnitate sui, bono sibi necessario, potest ho-  
 stis esse, neque tamen inimicus internus acti-  
 uus hostis sui, §. 141.

CAPUT

\* \* \* \* \*

CAPVT VII,  
IVS PRAEVENTIONIS.

§. I44. ad K. §. I109.

Sola laesio tui quum belli sit causa iustifica a te suscipiendi §. 133. haec autem, vt actualia huius vniuersi omnia, vel praesens sit, vel futura, vel praeterita: triplex hinc nascitur belli causa iustifica. M. §. 298. Praesens potest animo suscipi simul, vt continuanda, et eatenus futura. Ad futuras paullo post futurae pertinent, IMMIXTAS, in praevidendis M. §. 602, praevigilantiae saepius cum morali certitudine. M. §. 610. P. P. p. §. 28, 143.

§. I45. ad K. §. I110. n. I.

CONSERVATIO est visus 1) in bona continuanda 2) mala repellenda. Haec est DEFENSIO LATISSIME DICTA s. a malis cautio. Defensionis latissime dictae actio in alterum hominem malum repellens est DEFENSIO LATIUS DICTA laesionem repellens DEFENSIO STRICTIUS DICTA. OFFENSIO (aggressio, inuasio) LATIUS DICTA est alteri homini malum inferens, laesionem STRICTIUS DICTA.

§. I46.

## §. 146. ad K. §. IIIIO. n. 2.

Defensio tam latius, quam strictius dicta, nunc indolentiam nostram illa, nunc indemnitate nostram haec ab altero impetratum it 1) remediis extorsione mitioribus, Pr. §. 29. ad offensionis, tam latius, quam strictius dictae omissionem voluntariam P. P. p. §. 53, 54. vel inuitans tantum illecebris et suasionibus, vel blande, vel etiam aliquo metu cogens, P. P. p. §. 52. 2) extorquendo, vel etiam vi nunc vim, nunc vim laedentem offensionis repellens. §. 145. Posterior est defensio extorquens, vel violenta. Pr. §. 162.

## §. 147. ad K. §. IIIIO. n. 3.

Defensio extorquens et violenta, latius dicta potest esse iniusta. e. g. offensionem quamcunque, vel etiam vim, aggredientem quidem, sed non laedentem, durissima vi repellens; semper iusta est remedium proportionatorum ad auertendam laesionem mititissimum. §. 145, 130.

## §. 148. ad K. §. IIIII n. I.

Offensio latius dicta potest esse iusta, ipsa extorquens, et violenta, e. g. vel cruentis etiam remediis ad indemnitate sui tamen impetrandam omnino necessariis, et  
huic

huic fini proportionatorum mitissimis vſa. §. 131. Offensio ſtrictius dicta, ſi vel mitiſſimis vtatur remediis, et quae ab omni coactione, extorſione, violentia videantur remotiſſima, ſemper iniuſta eſt. §. 145. Pr. §. 151.

§. 149. ad K. §. IIII n. 2.

Ius eſt cuius homini connatum in ſtatu naturali deſenſionis, etiam extorquen-  
ris, etiam violentiae contra laeſorem quem-  
cunque. §. 147. non contra offenſorem quem-  
cunque. §. 148. Laeſor et offenſor nunc  
eſt ex laeſione vel offenſione praeterita, con-  
tra quem ſuſcepta deſenſio dicitur VLTIO,  
non confundenda cum vindicta, §. 143.  
nunc ex praefenti, contra quem ſuſcepta  
deſenſio dicitur DEFENSIO STRICTIS-  
SIME DICTA, nunc ex futura, contra  
quem ſuſcepta deſenſio dicitur PRAEVEN-  
TIO. §. 144.

§. 150. ad K. §. IIII n. 3.

Sicut obligatio ad non laedendum exter-  
na conſtans et perpetua nullique tantum  
adſcripta tempori eſt: P. P. p. §. 80, ita  
correspondens eidem, ius deſenſionis, et-  
iam extorquendae, violentiae, cruentae,  
hinc vltionis, deſenſionis ſtrictiſſime di-  
ctae, praeventionisque eiſmodi, §. 123,  
con-

**P. I. C. VII. IVS PRAEVENTIONIS. 159**

contra laesorem in statu naturali, non contra offensorem quemcunque, quae fuerint indemnitate nobis ab eodem impetrandae proportionatorum remediorum mitissima. §. 147.

**§. 151. ad K. §. IIII. n. 4.**

Vis in eum, qui nec laesit, nec laedit, nec laesurus est, etiamsi possit potueritue laedere, siue dicta vis sit offendens, siue defendens latius, §. 145. non est iusta defensio §. 137. hinc nec ultio, nec defensio strictissime dicta, nec praeuentio iusta. §. 149, 150.

**§. 152. ad K. §. IIII 2.**

Sola causa belli iustifica est defensio strictius dicta, iusta vel ultio, vel defensio strictissime dicta, vel praeuentio. §. 133, 150.

**§. 153. ad K. §. IIII 3. n. 1.**

Laesio hominis in hominem futura quum nequeat vnquam esse complete certa, possit esse probabilis vero et genuino significato, variosque per gradus moraliter certae futuritionis: siue sit haec imminens, siue minus, modo sit certa moraliter defensuro: huic dat ius praeuentiois §. 151. P. P. p. §. 143, 28.

1

§. 154.



## §. 154. ad K. §. III 3. n. 2.

Vis illata illi, de quo dubium aut improbabile est eum esse laesurum, non est iusta defensio strictius dicta, §. 153, hinc nec iusta praeuentio. §. 149.

## §. 155. ad K. §. III 4.

Ad animum, nisum et decretum alterius nos laedendi, ex cura remediorum, qua talium, remouendorum obstaculorum, qua talium, captatione vel suscitatione occasionis, qua talis, i. e. laesioni tantum quadrantium, §. 128. cautionem non excludente cum securitate §. 124. concludere iustum est. §. 153, 126.

## §. 156. ad K. §. III 5.

Contra laesionem sui futuram de eodem moraliter certis in statu naturali ius est praeuentiois, etiam extorquentis, etiam violentae, etiam hostilis. §. 150. Iam prima laesio, primus aggressiois strictius dictae actus, prima laesura hostilitas est laesio futura, ergo de eadem moraliter certis in statu naturali dat IUS PRAEVENTIONIS STRICTIUS DICTUM, quod est ius defensionis ante primam laesionem.

CA.

## CAPVT VIII.

IUS DEFENSIONIS STRICTIS-  
SIMAE DICTAE.

§. 157. ad K. S. III 16.

**N**e confundatur hic proportio vel aequalitas, quae inter laesionem et independentium damnorum gradum et quantitatem ex vna parte, ex altera gradum maiorum et quantitatem intercedit, quae defendens laesori fit illaturus, et ad quam defensor attendere iure externo non tenetur, cum illa vel aequalitate vel proportione remediorum, quae 1) sint ad indemnitatem defensori procurandam omnino sufficientia, 2) sed in his tamen mitissima. Nam ultimam proportionem defensor attendere partim ius habet, partim etiam externe tenetur. §. 147, 130.

*Observatio.*

Hucusque ipse b. Auctor dictata sua correxit et multum locupletauit. Quae nunc sequuntur sunt ipsius dictata ad paragraphos Koehleri sine omni mutatione et additamento.

§. III 9.

Hinc refutatur quaedam aequitas cerebrina.

brima. Habitus errandi ex praeccepta  
proportione laesionis iusto minore.

§. 1123.

*subnatum*. Damnum si fuerit : reparan-  
dum est tertio a nobis §. 996, ita ut de-  
tur nobis recursus ad inuasorem §. 1121.  
Non tamen malum subnatum tertio ex  
defensione violenta est damnum.

§. 1125.

Nullum bellum offensiuum iustum est.

§. 1131.

*aggressio* : Ex bello defensiuo offensi-  
uum.

§. 1132.

*ius infringendi remedia* : quatenus iis ab-  
utitur alter ad laedendum.

§. 1133, 1139.

*Observ. generalis.* Iuuans hostem iniu-  
stum vel eum iuuat qua talem, vel minus.  
In posteriori casu non laedit; si iuuat  
qua hostem vel eodem in gradu nos iua-  
re paratus est, vel minus. Si prius non  
declarat animum hostilem; si posterius,  
fit vna cum hoste persona, laedens.

§. 1140.

## §. 1140.

*duo remedia*: propulsando periculo sufficientia.

## §. 1142.

An ergo omnia in hostem licent? Inter arma silent leges de facto plerumque, non omnes de iure.

## §. 1144.

*durius*: proportionato.  
*in fin.* potest idem fieri culpose.

## §. 1151.

*sed aggressori*: externe ubi nemo obligatur ad eam continentiam ab affectibus et praesentiam animi, quae difficillima et rarissima est in ethice optimis.

## §. 1152.

*inferendi*: aut ad culpam stricte dictam (§. 949.)

## §. 1155.

Dolus est obligatio ficta quam ipse obligans nouit esse talem.

## §. 1157.

Dolus innocens in I. N. est, qui non laedit, licet possit esse contra regulas ethices.

## §. 1160.

*stratagematibus*: dolis erga hostem, distinguendis, ab inventionibus quibuscunque ingeniosis.

## §. 1189.

*quocunque foro*: externo.

## §. 1190.

*in fine*: Non pro lubitu caeco, sed pro ut vel minus vel maius proportionatum fuerit defensionis remedium.

## §. 1191.

Defensio corporis membrorumque nostrorum est moderamen inculpatae tutelae. Distingue ipsum:

- 1) a caede non agredientis improvisae
- 2) a cruenta defensione rerum et honoris,
- 3) eius iustitiam a mera impunitate inter homines.

## §. 1192.

Qui vitur moderamine inculpatae tutelae nec dolose agit nec culpose. Non datur remedium mitius ad propellendam alterius laesionem.

## §. 1197.

§. 1197.

Compressio virginis iniusta est laesio.

§. 1201.

*violentae vel cruentae.* Tamen si aliter fieri nequeat, non violentae tantum sed et cruentae. (§. 1110.)

§. 1202.

In religione externa vtor corpore meo ad cultum externum pro lubitu meo, si nemini iniuriam fecero, iure meo.

*Exercitio religionis nostrae sc. iusto.*

§. 1203.

Schol. *de dissensu interno.* Externus, declaratus, vel declaratur cum conuicio spirituque persecutionis crassiori: vel sine iisdem, forsan ad tempus, declarat tamen errorem, vnde probabile fit ei obnoxium me laesurum, et dat ius praeventionis, sicut prior casus, est laesio: vel tandem innocenter externe.

§. 1204.

Si extorsio damni reparandi vltio dicitur, haec erit iusta: licet vindicta non licita sit secundum forum internum. (§. 696. 1082.)

§. 1213.

*Curacionem.* Curatio est restitutio satisfactioque mixta, vnica possibilis reparatio. Haec ergo extorqueri potest ex laedente aut ab ipso aut per alios praestanda.

§. 1215.

*illatam.* Huc palinodia s. declaratio mendacii a se facti.

§. 1217.

*ut pereamus:* Ius externum prohibeat, quod ius internum iubet, et versa vice, saltem hyporhetice, si culpa interna in statum complicatum incidimus.

§. 1218.

Haec facultas dicitur moralis, faciendi, quae nisi moraliter necessaria essent, ob obligationes internas, iniusta forent s. quarum oppositum iustum esset nisi esset moraliter impossibile, ob obligationes internas.

§. 1219.

Omne ius externum supponit actiones moraliter possibiles. E. de casu necessitatis non loquitur. (§. 1218.)

§. 1220.

## §. 1220.

Necessitas non habet legem sc. oppositam.

## §. 1230.

Reparatio damni si possibilis adhuc fuerit post eluctationem ex statu necessitatis non aequa tantum censetur, sed et iusta est.

At inde tamen non opus est admittere, quod damnum illatum sit in ipso necessitatis casu. Sufficit illud malum quod necessarium fuerat per tempus, eo momento, quo desinit esse necessarium, et tamen continuatur, cum suis consecutariis degenerare in damnum. Hinc ipsum et consecutaria reparabilia, ut tollamus, quam primum desaeuit necessitas, externe obligamur.

## EXERCITATIO VI.

## DE IVRE PACTITIO.

## §. 1244.

Promissio est declaratio decreti, quo quis ex suo vult alienum fieri. Differt a derelictione, qua quis ex suo vult fieri rem nullius.



§. 1245.

*in fine*: est enim actio.

§. 1249.

*adimpletio*, i. e. actionum promisso con-  
formium complexus.

§. 1252.

Probe tamen distinguendae sunt vires  
alienae naturaliter (subiective et inhaesi-  
ue) ab alienis moraliter (et iuridice).  
Possunt enim vires alienae naturaliter etc.  
tamen meae esse moraliter et iuridice s.  
ad meum pertinere.

§. 1253.

*Consensum*: Consensus speciatim est de-  
claratum decretum nostrum cum decreto  
alterius identificatum.

§. 1255.

*in fine*: At prius non potest, qui non  
potest velle (naturaliter vel ciuilititer). (§.  
1253.)

§. 1256.

*in fine*: Qui non potest intelligere, non  
potest velle.

§. 1257.

## §. 1257.

*Consentiendi moralis.* Quae iterum vel interna, si leges internae; vel externa, si leges externae id permittant.

## §. 1258.

*in fine:* physica.

## §. 1260.

*binarum voluntatum, sc. consequentium* & decretorum. Ad quodvis pactum mutuus quidem consensus requiritur, at non semper mutuus consensus promissorius, quo consentio Titii suum fieri meum, et meum Titii suum, sufficit me consentire Titii suum fieri meum.

## §. 1264.

*in fine:* Declaratio decreti, quo quis ex suo promittentis vult suum fieri, est acceptatio. Consensus mutuus ergo erit vel promissorius vel acceptatorius.

## §. 1265.

*promissum:* vel expressum vel tacitum.

## §. 1269.

Validum dicitur promissum, cui conformiter agere, leges naturales iubent.  
Ergo

Ergo **validitas** promissi est vel interna legibus **internis**, vel externa legibus **externis debita**. Posteriorem nunc solam attendimus, simpliciter dictam validitatem.

## §. 1276.

Promittens servans promissionem ex suo facit alienum (§. 1244. 1249), hinc iuri suo renunciat in illud, quod potest (§. 785), et simul ius illud in alium transfert, qui habet ius acceptandi (§. 777), sed renunciare et huic potest (§. 785). Ponere iam illum, cui fit promissum, non accipere: non agnoscit promissum pro suo, hinc nec in illud ius sibi vult esse. Ergo, qui illud ipsi non tribuit volenti non facit iniuriam, hinc promissa non acceptata ius cogens servare non iubet. Ergo non sunt valida (§. 1269).

## §. 1277.

*in fine:* Pacta conuenta sunt in genere omnia pacta, quia non dantur pacta non conuenta.

Conventio potest haberi pro genere, denotante quamlibet promissionem acceptatam, quae si valida per naturam sit, pactum, si per ius civile dicitur contractus, si per utrumque contractus et pactum.

## §. 1279.

## §. 1279.

*requiritur factum bilaterale: caue tamen, ne factum bilaterale cum pacto bilaterali confundas.*

## §. 1283.

*in fine: Ergo et reges minorenes naturaliter non possunt in conuenta et pacta iurare valide.*

## §. 1291.

*ante laesiones: nec laedens nec laesurus.*

## §. 1305.

Quicquid nobis absolute, physice et moraliter possibile est, illud decernentibus nobis existit. Quod si ergo mutatio mei in alienum absolute mihi et physice fuerit possibilis, est etiam in pactis iustis moraliter talis. Hinc per pacta iusta fit actualis. Potest enim aliquis physice alienum ex suo facere, si se eius vlu interdicit in commodum alterius.

## §. 1309.

*aliquid sibi sumit, in quo alterum transfert: Caue ergo, ne argumentum, quod tibi non dedisti, non potes tollere, nimirum, hinc nihil, probet.*

## §. 1311.

## §. 1311.

Obj. At non consensit, sed consensum tantum simulavit, hinc nec pactus est (§. 1277), ergo nec iuste pactus est, nec ex pacto tenetur.

Resp. Voluit alterum suum consensum pro vero habere, hinc obiectum pacti post acceptationem pro suo reputare, et sibi ius cogendi in illud tribuere. Quod si obiectum pacti simulati non esset suum redditum, sibi ius cogendi in illud tribuens acceptans alios læderet. Ergo simulans in pactis promissionem vult fieri læsionis alterius causa moralis. Hinc dolo malo utitur, et alterum lædit, qui loco reparationis damni potest extorquere, ut seruetur pactum tanquam sincere promissum.

## §. 1317.

*in fine*: hinc infamia pacti infracti.

## §. 1321.

Schol. *sibi pacta*: in quorum vno seruando est ratio sufficiens cur plane seruari nequeat alterum.

## §. 1326.

Debitor latius sumtus et sic et reliqui.

## §. 1327.

*voluntatis, sc. non determinandae per extorsionem.*

## §. 1331.

Declarans se nunc aliter pacturum si res adhuc integra esset, non reuocat pactum.

## §. 1334.

Pacta obiecti vel absolute vel physice vel moraliter impossibilis, si seruanda essent I. N. nos obligaret ad impossibilia (§. 1269.) quod contra §. 487.

## §. 1335.

*de rebus vniuersalibus, in abstracto spectandis.*

## §. 1337.

*in fine*: si sic dicatur minus serius. At si sic vocetur inconstans, licet decretorius, sufficit (§. 1305. et 1331).

## §. 1338.

Fides pactitia est habitus seruandi pacta valida. Perfidia est habitus non seruandi pacta valida. Hinc reuocans pacta iniusta non est perfidus.

## §. 1340.

## §. 1340.

*in fine* : Abstinentum est a promissis simulatis (§. 1311).

## §. 1341.

Sinceritas est virtus (s. habitus) optime mentem significandi.

## §. 1343.

*incundo pacto* : inter se.

## §. 1344.

Qui nondum decernit, nihil promittit. Ergo deliberans nondum promittit (§. 1244.).

*iudicat* : decernit.

## §. 1345.

*nondum iudicat* : nondum decernit.

## §. 1353.

Protestatio est dissensus externus a nos laesuro.

## §. 1355.

*in fine* : idque expresse. Nam nec neganda in I. N. est possibilitas protestationis expressae.

§. 1357.

## §. 1357.

*et possessionem*, i. e. facultatem re vtendi pro lubitu. Haec est vel physica, s. detentio, detentatio, custodia corporalis, qualis §. 1629. vel moralis, eaque vel interna seu aptitudo, vel externa, iusta, iuris intellectu talis. Possunt esse omnes simul vel etiam separatae.

## §. 1362.

n. 1. Si omnis tacens consentit, aper-  
tissime laedens tacentem iure agit. Er-  
go quivis homo habet ius a quovis ex-  
torquendi, quo ipsi cunque placet mo-  
mento, protestationem, eamque ex-  
pressam, contradictionem: quod ab-  
surdum.

n. 2. Si vero dubium fuerit, an quaedam  
actio sit futura laesio mei, non externe  
obligatur ad quaerendam ex me men-  
tem meam. Sibi commodum, num  
me laedat dubius, potest suscipere, cum  
intentione illud omittendi, si laedi me  
cognouerit certius. Tunc tacens, nec  
expresse nec tacite protestans, contra  
actionem, quae mihi praeiudicare vi-  
debarur, sio similis promittenti, qui  
eiusmodi actiones etiam admittit, hinc  
consentire videor.

K

§. 1363.



## §. 1363.

*in fine*: Neque tamen consentit, nec externe obligatur ad protestationem expressam in aperta laesione. In casu dubio si sibi videatur laedendus, externe obligatur ad agendum secundum Exercit. V. Hinc ad medium auertendae laesionis mitissimum in proportionatis arripiendum. Quodsi ergo sola protestatione potuisset auertere, conuersus ad duriora est, defensionis terminos migravit, et laesurum laesit, qui ius habet pro reparando damno poscendi, vt res controversa quasi pacto translata sua maneat.

## §. 1365.

*Consentire debet*: externe.

## §. 1366.

Protestatio contra id, in quod consentire externe debet, est declaratio decreti iniusti, hinc alteri ius praeuentionis potius dat, quam vt fictum protestantis ius conseruaret.

## §. 1367.

In statu naturali non obligatur ad protestandum, nisi cognoscens protestationem

nem medium auertendae laesionis mitissimum esse in proportionatis (§. 1363). Ergo si non potuit protestari e. g. laesionem ignorans, nec fuit haec medium proportionatum auertendae laesioni, nec ad eam tenebatur.

## §. 1370.

Si alter praesumit per ideas socias (M. §. 612.) consensum nostrum, errare potest et non errare, hinc consensus vel vere vel false praesumitur.

## §. 1371.

*aliquo adesse: aut adfuisse, aut extitit.*

*et tacitus, et vera praesumptus (§. 1370).*

## §. 1372.

Est casus specialis consensus legitime praesumpti, ubi male fallit ille, cuius consensus, tanquam vir bonus esset, praesumebatur. Legislator autem loco eius consentit.

## §. 1373.

*Ratihabitio est ratuatio consensus praesumpti.*

K a

§. 1376.

## §. 1376.

Hinc possunt diuidi pacta in ea, quorum declaratio fit.

- 1) traditione rei, realia;
- 2) expresse per verba, verbalia;
- 3) per litteras, litteralia;
- 4) non determinatis modis reliquis, consensualia.

## §. 1377.

*sub conditione:*

n. 1. Pacta conditionata sunt, quorum propositio pactitia, i. e. in quam pars utraque consensit, habet conditionem expressam sine qua non.

n. 2. Pacta de praesenti sunt, quae declarant alienationem decretam cum pacto simultaneam. Pacta de futuro sunt, quae secuturam eam demum post pactum interuallo aliquo temporis: et haec iterum vel sunt pacta in diem certum, quae in propositione pactitia tempus futurae translationis certius determinant: vel quae idem tempus incertius determinant, et referuntur ad conditionata.

§. 1378.

## §. 1378.

n. 1. **Conditio acceptanti molesta onus est.** Pactum hoc adiectum habens est onerosum. Conditiones possibiles sunt vel casuales, in euentum collatae per casum, vel potestariae s. in arbitrium collatae, per vires paciscentium, vel mixtae et promiscue per vtrumque exiturae. Pacta bilateralia hypotheseos casualis, aleam continere dicuntur, e. g. emptio spei.

n. 2. **schol. Conditio impossibilis (habens vim negandi) reddit pacta inualida.** Sed si eius impossibilitatem vna tantum pars videt, nec altera videre fuit externe obligata, et pars prior conditionem simulavit possibilem, pars posterior potest agere ex iure laesi per pactum simulatum (§. 1311).

## §. 1379.

Si Caius promittat Titio, se velle quasdam actiones suscipere nomine Titii, i. e. Titio vt auctori primario imputandas, acceptante Titio; Titius est mandans, Caius mandatarius.

## §. 1380.

*Dolose paciscens vel*

- 1) consensum simulat, vel
- 2) vere consentit, alterius consensum dolo facilitans; priori significato pactum nullum est (§. 1311), posteriori videndum est, an dolo malus sit, an innocens (§. 1157)? Posterior non impedit validitatem pacti.

## §. 1381.

*Pugnat etiam dolo: prioris generis.*

## §. 1382.

*dolo: malo.*

## §. 1383.

*dolo: prioris generis.*

## §. 1384 et 85.

*Dolose et simulate.*

## §. 1392.

*errans obligatur.* Semper enim culpa saltem lenissima adest, qua in errorem incidimus.

## §. 1393.

## §. 1393.

*potest ante laesiones*: qui nec laesit, nec laedit, nec laedet. Qui ergo citra pactum iam ita externe obligatur ad consentiendum mecum in certos fines s. ad mecum paciscendum, ut me non pacturus laesurus sit, salua hac veritate cogi potest. Externe obligatur non tam ex pacto mecum inito, quam ad pactum mecum ineundum.

*metu nobis*: nec laedentibus nec laesuris.

## §. 1394.

Si nullum poneres omnem consensum quocunque metu extortum, omnis consensus nullus esset; dum metus non nanciscendi finis nisi paciscamur sit uniuersalis.

## §. 1395.

*latrone*: vim inferente,

## §. 1396.

*nulla obligatio*: externa oritur.

## §. 1419.

Remissio est renunciatio acceptantis in ius suum.

K 4

§. 1430.

## §. 1430.

*in fine*: vel benefico, vel permutatorio,  
vel ex his mixto.

## §. 1431.

*eius consensu promissorio*, vel nominato,  
vel innominato; facio vt facias, facio vt  
des, do vt des,

## §. 1432.

Aliena promittens, vel absolute pro-  
mittit physice sibi impossibile, et non te-  
netur ex pacto (§. 1367), sed potest tene-  
ri ex iure laesi (§. 1311); vel promittit se  
alteri suasurum, et ad hoc tenetur; vel se  
ipsum praestitutum altero nolente; vel vt  
mandatarius, et mandans tenetur; vel vt  
negotiorum gestor, s. mandatarius per  
consensum mandantis praesumptum, et si  
fallatur, damnum acceptanti resarciat (§.  
1392), salvo tamen sibi recurso citra nego-  
tiorum damnum.

## §. 1433.

Jura temporaria sunt, quae respectu  
certi alicuius temporis nunc habemus,  
nunc minus; quae respectu illius tempo-  
ris semper competunt, sunt perpetua.

§. 1435.

## §. 1435.

*Negotiorum* gestor acceptans pro alio praesumit eius consensum (§. 1370. 1432). Si vere, rati habitio sequitur (§. 1373). Si falso, solum commodum ubi fuisset a parte acceptantis, illo non rati habente, nemo laeditur; si quid inde damni promittenti enascitur, negotiorum gestor re promittit non nihil, unde conferendus (§. 1432).

## §. 1436.

*sunt homines*; nec semper quidem sunt hostes (§. 1324. 1203).

*in fine notae*; et negatur, quia infamis est, hinc nulla iura habet, hinc nec consentire potest moraliter.

## §. 1439.

Perfidus aut est actualis vel

1) contra te et laesit, ergo agere licet ex (§. 1324), vel

2) contra alios, et punire eum non licet;

aut habitualis, infamis, nulla iura habens, qui ergo nec moraliter consentire, nec acceptare potest, quocum ergo pacta nulla valida iniri possunt.



## §. 1441.

*Iusiurandum*: consensus externus in poenas non seruati pacti diuinas, est iusiurandum.

Atheus et Epicureus non possunt iurare, et simulate iurantes tenentur ex §. 1311.

Distingue contestationem per Deum (*beschwoeren*) i. e. denunciationem poenarum diuinarum, motium non peccandi; et execrationem, consensum in poenas peccatorum diuinas determinatiores (*fluchen*) et adseuerationem quamcunque (*Beheurrungen*).

## §. 1455.

*in fine*: quod additur promissioni vnicæ: vera dicam.

## §. 1456.

*promissorium*, quod additur promissioni: vera promittens dicam.

## §. 1457.

*promissorium*, si sic dicitur, quod additur promissioni.

§. 1464.

## §. 1464.

*pignus*: quod cautio iuratoria §. 1430.

## §. 1467.

*falsam et imaginariam* quam tamen ipsi pro vera habent.

*eiusmodi usus*: Iusta est eiusmodi delatio iurisiurandi, quia volens alter non laeditur. Caetera sunt ethicae indaginis.

## §. 1468.

*paetum fuerit iniustum, nihil iuratur.*  
Non servare paetum iniusto metu extortum iustum est, hinc nullae poenae divinae praevidendae sunt, ergo nec in eas consentiendum, vnde nihil iuratur.

## §. 1470.

*relaxatione iuramenti.* Atq; in iureiurando paetis validis addito, hac utique opus est; si princeps ea velit tollere s. rescindere.

## §. 1472.

*perjurium*, i. e. violatio iurati promiss.

*in foro saltem interno: immo etiam in externo, quia iuratum promissum concipi potest ut copularum (§. 1372), duo vero pacta violans magis laedit caeteris partibus, quam unum.*

## §. 1473.

*commisso periurii est laeso; Immo maior, quam pacti nudi violatio.*

## §. 1474.

Satisfit iuriiurando per cauillationem si verba non mens pacti iurati implentur. Eiusmodi cauillator aut intenderat hanc simulationem promittens, et laeserat: aut post excogitat sensum verborum, quem non habuit promittens, et non seruat promissum.

## §. 1476.

*suam minuit; licet non statim amittat.*

## EXERCITATIO VII.

## DE IVRE DOMINIORVM.

## §. 1479.

Res externae in iure Naturae sunt, quaecunque nec persona nec partes eius.

vnde et res externae dicantur, quia extra personas existunt.

§. 1480.

*communio bonorum*: latius dicta. Haec si ius sit, erit communio bonorum strictius dicta, vel omnium vniuersalis, vel quorundam particularis. Ergo res strictè communis est pluribus propria, hinc quae non est pluribus propria, non est communis. Res nullius est, quae nulli hominum est propria. Ergo res nullius non est res communis, et nulla res communis strictè est nullius.

§. 1481.

*communione rerum*: stricta.

§. 1484.

Alias dominium sumitur pro omni iure in re, s. iure rem externam habendi in suis. Tunc dominium plenum potest dici complexus omnium iurium, quae quis in rem habere potest, ita vt sit synonymum proprietatis plenae. Tunc dominium (participatio) est proprietatis nuda s. ius in substantiam rei i. e. ius re abutendi.

§. 1485.

§. 1485.

*in fine*: strictius dictum.

§. 1486.

*in fine*: tamen res mea et mihi propria differunt vt genus et species.

§. 1494.

*auferunt*, cum proposito possidendi eamque suam simulandi.

§. 1496.

*fieri quis velit*: hinc vel expressa vel tacita. §. 1347.

§. 1498.

*res communis*: eodem respectu. Ergo non dominus nec habet ius innoxiae utilitatis.

§. 1500.

*quae detinetur*: possidetur naturaliter.

*possessionem*, naturalem. Vindicatio est dispositio de re sua §. 1496.

§. 1501.

## §. 1501.

Quaedam res externae non nisi facto nostro nobis profunt, quantum observatur. Ergo antequam iis quisquam usus est erant in foro externo res nullius, et factae sunt suum utentis facto ipsius.

## §. 1502.

Res externae si conciperentur, ante dominia, ut humano generi strictè communes,

- 1) haberet illud ius excludendi non homines ab earum usu, quod gratis sumeretur.
- 2) Res ante dominia omnia ponerentur iam fuisse in dominio generis humani quod contradictorium.
- 3) Cuius in rem quamvis aliquid iuris iam tribuendum esset, quod fieri iure non potuisset nisi facto suo.
- 4) Nihil potest accurate tunc dici res nullius, quia omnia sunt omnium.
- 5) Sola occupatio nunquam tunc esse potest titulus modusue iustus adquirendi domini. Unde et multi communionis eiusmodi defensores compelluntur ad fingendum concilium generis humani oecumenicum, in-

tre-

roducendis rerum dominiis habitum.

§. 1503.

*in fine:* quarum aliquos hominum exclusis aliis dominos fieri, vel absolute physice vel moraliter impossibile. Harum si quae sunt, iuste nunquam hinc nec per occupationem acquiritur dominium.

§. 1505.

n. 1. Quicquid nobis absolute physice et moraliter possibile est per decretum acquiritur. Iam acquisitio domini in rem nullius, sed domini capacem, est absolute physice et moraliter possibilis. Ergo accedente decreto nostro, fit actualis.

n. 2. Si rem ante nullius, sed quae decreto nostro iuste nostra facta esset, tanquam nostram vi defendere vellemus contra quemquam eadem usurum, antequam ipsi decretum nostrum, quo nostra facta est, declarassemus, contra eum terminos defensionis transgredieremur. Ergo antequam ius defendendi rem eiusmodi naturaliter nancisci possimus, quod ad ius domini pertinet, opus est sufficienti declaratione decreti de acquirenda nobis re nullius,

sed

sed dominii capace, i. e. actuali apprehensione s. occupatione.

§. 1507.

*Hinc res nullius: sed dominii capax.*

§. 1509.

*Qui res nullius: sed dominii capaces.*

§. 1510.

Maiores in syllogismo circa possessionem est titulus.

§. 1517.

*Separari non posse: vtrique separari potest.*

§. 1519.

Abiectae seu pro derelictis habitae sunt, quarum dominus sufficienter declarat, se eas suas amplius esse nolle, nec tamen alteri cedit. Hae sunt res nullius quia in nullius proprietate sunt, hinc si sint dominii capaces, cedunt occupanti.

§. 1520.

Res deperdita et ab aliis inuenta iuste occupatur hypothetice: si haec res fuerit nullius, meum decerno.

§. 1521.

*accessoria: dicitur modus acquirendi Iuris Gentium.*



- n. 1. Accessio est modus acquirendi partem minus principalem rei, cuius principalis nostra est.
- n. 2. Pars principalis hic est, quae maximi est pretii.
- n. 3. Si pars accessoria sit res nullius, aut externe inuincibiliter ignorati domini, sit suam domini partis principalis per occupationem accessoriam. (§. 1507. 1510).
- n. 4. Si pars accessoria habeat dominum notum non potest adquiri a domino partis principalis, nisi modo deriuatio. §. 1504.

## §. 1522.

*Per agrum.* Agri arcifinii (arcifinales, occupatorii) sunt ii, quorum a finibus per naturam hostes arceri commode possunt.

Huc quaestio de insula emergente.

## §. 1523.

*Schol.* Obserues tamen cautelas circa non protestationem superius datas, et quantum temporis requiratur ad id vt secure ad derelictionem concludas non constare per ius naturae.

## §. 1524.

Aliter, si domini alicuius ius sit tantum superficiarium, thesaurusque multum sit infra superficiem,

*Schol.*

Schol. *fossione*: illegitima. At quid si legitima? e. g. mercenarius ad fodendam conductus. Resp. Dominus agri si non tantum ius superficiarium habet, eius suum est, quid quid infra superficiem est, quousque penetrari ab hominibus potest.

## §. 1526.

*relinquit*, et ager aut agri pars quam inun-  
stant.

## §. 1534.

*in fine*: ne confundatur, cum traditione  
(§. 1618).

## §. 1548.

*extra partes*, substantiales.

## §. 1550.

Directura est ius domini directi,

## §. 1556.

*ius utendi re corporali ad arbitrium*, *ius fru-*  
*endi*, i. e. *usus fructus causalis*.

## §. 1558.

*servitutes*. Obligationes perfectae in rem  
mihi propriam alteri ius concedendi.

*personales et reales*. Personales personae,  
cui debentur, immediatius, (e. g. operae  
servorum): reales s. praediales, mediate  
per aliquam rem ipsius, utiles e. g. servitus  
altius tollendi etc.

## §. 1563.

donatio est pactum alienationis unilaterale.

## §. 1564.

Ergo requirit acceptationem licet non semper expressam, sed saepe etiam cum protestatione facto contraria coninnctam.

## §. 1567.

*nullae res externae propriae sunt: quae in censum veniant.*

*in fine* Ergo possunt alienari vel plures, vel pauciores, vel ad dies vitae vel ad certum tempus.

## §. 1570.

*tituli in onerosum et lucratum.* Addunt mixtos, ubi pars donatur ab vno promittentium.

## §. 1571.

Permutatio est pactum alienationis bilaterale.

## §. 1579.

Permutantes considerant permutanda quatenus sua sunt, aut aliena sunt, i. e. qua media perfectionis, et quidem illi cuius sum prae reliquis commoda, i. e. qua utilitatem et quidem exclusivam.

## §. 1581.

*in fine: et quidem qua utilitatem.*

§. 1587.

§. 1587.

Cum in pacto permutatorio tantundem quisque reddit paciscentium quantum accipit §. 1571. vterque vtriusque rei alienandae pretium statuere debet, quod hinc conventionale dicitur, est enim pars propositionis pactitiae, in quam consentire debent: hinc dominus ius habet imponendi rei suae pretii.

§. 1591.

*legale, legitimum.*

§. 1601.

*a re ipsa: Sola.*

§. 1602.

Pretium internum nonnunquam dicitur rerum utilitatis quantitas, et quantitas utilitatis ab hoc vel illo iudicante s. aestimante rei ad signata, pretium externum.

§. 1603.

*Solitum: externum.*

*in fine: verum: si consentiat cum interno.*

§. 1604.

Fieri enim saepius potuit, vt, cum tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem non haberem, quod tu accipere velles. Verba sunt L. i. pr. D. de contrah. emt.

§. 1605.

Peculiaris rei utilitas qua ob determinatum iam pretium commodissime commutabilis

bilis est cum reliquis, est pretium eminens, quod tamen probe distinguendum a pretio legitimo.

§. 1606.

Res pretii eminentis est pecunia.

§. 1610.

Pecuniae adulteratores sunt, qui eius pretium internum dolo sed malo imminuunt. Nummus, quem alterant, aut est ipsorum et post alterationem eum pro plene valente commutantes dolo se paciscuntur; aut alienus, et iniuste detrahunt furati, quidquid tollunt ex interno pretio.

§. 1615.

*Perfectionem pacti, & validitatem.*

*implemento, & servatione.*

§. 1618.

*Emtio venditio.* Permutatio latius dicta vel est rerum strictius dictarum inter se quatenus pecuniae contradistinguuntur, et est permutatio strictius dicta; vel rei cum pecunia, emtio venditio;

*Confectar, possessione naturali in Possessionem, naturalem.*

§. 1619.

*commodatum, locatio conductio;* Pactum de usu rei meae aliquo ad tempus alienando vel est unilaterale, commodatum vel bilaterale,

terale, locatio conductio, cuius nomine simul pacta de faciendo vehendoque aliquo pro mercede comprehenduntur.

## §. 1620.

Res fungibilis est, cuius praecipuus usus obtineri non potest, nisi eam consumendo, vel naturaliter vel iuris intellectu, ita tamen, ut singula eius individua sint pretii externi fere aequalis, quia respectu dominii hic solet perinde esse, hoc an aliud eiusdem speciei individuum possidens, modo aequalem individuum numerum, qui e. g. pondere vel mensura intelligitur, possideas. Unde res eiusmodi quantitates, non species dicuntur, et in numero, pondere et mensura consistentes. Pactum de consumptione rei meae fungibilis iusta alteri concedenda sub hypothese tantundem restituendi, est mutuum. Mutuum vel est unilaterale vel bilaterale, et tunc merces pro mutuatione est usura. Genus hic sumitur pro specie. Loquendo cum ICris Rom, ut in l. 2. pr. §. 2. D. de R. C.

## §. 1624.

*in fine*; Pignus est res acceptantis, in quam promittenti possessionem physicam re-promittit, cum cessione iuris hypothetica in casu, quo re-promissa non servaret reliqua.

§. 1626.

*in fine* : Cautiones, quibus promitto, me debitum alienum soluturum, si ipse debitor primarius non sit soluendo. Expromissor fio, si idem promitto, hac hypothese non addita.

§. 1634.

*ope possessionis diuturnae.* Quis tempus determinet?

*contradictione* : Debita an indebita?

§. 1635.

*in fine* : Hinc aut prorsus non est iuris naturae aut expediens conuentionale decidendae litis. cf. §. 1640.

§. 1646.

Hic quaeritur : an terminus, occupatio, recte applicetur ad hosticum et res hostiles, cum nullius non sint. Distinguendum bellum priuatum et publicum. Pactum ab auctore suppositum est fictum. Meum aliquid factum est ex hostili vel propter iustitiam belli et causae, vel propter pacis pactum sequens.

§. 1648.

Testamentum est declaratio decreti tui de eo quod post mortem tuam fieri debet, serua-  
 ta tibi libertate voluntatis ambulatoriae vsque ad mortem.






  
**I N D E X.**

<b>A</b> bstinere ab alieno	65.	<b>B</b> eatitudo, eius gradus	99
Acceptatio	139	Bellum	72
Accessio	162	iustum	121
Acta et probata	23	iniustum	122.
Actiones mere natura-		eius causa iustifica-	
les	7.		122. 126
earum moralitas		eius causae suaso-	
obiectiva	11	riae	123.
subiectiva	12	ferinum	124.
finitorum	12	eius causae immi-	
inuitae	42	nentes	126.
liberae	42	offensuum	132
non liberae	44	Benefactum	29
culposae	51	Benignitas	71.
dolosae	ib.	Beschwerden	154
externe iustae	71	Betheurungen	ib.
externe indifferen-		Bonum alteri praesta-	
tes	ib.	quantum potes	59
Actus malus	51	iucundum	stricte
Adiaphora	12	dictum	112. 113.
Adimpletio	138	Bruta	8
Adseueratio	154.	Calumnia	105. 111.
Aequalitas	80	Calumniator	105.
Affectus	54. 56	Casus in foro externo	92
Agri arcifinii s. arcifina-		Causa impulsiva	5
les	162	moralis	56.
Amicus externus	123	Capillatio	156.
Analysis legum	26	Coacta non imputantur	52.
Aptitudo moralis	17	Cognitio mathematica	33
Arbiter	85	Commodatum	167
Arrogantia	102	Condemnatus	86
Atheus	3. 36. 154	Connatum	65
Auctor	10	Connexio proprie et im-	
iuris	27	proprie sumta	4
Auge suum quodcumque		Conscientia	35
alterius	58	L 5	illius
Auxilium ferre	61		
denegare	68. 69		



# I N D E X.

Illius defectus	36	Decreti iniusti declaratio	146
contra illam agens	37	Decretum	169
recta	ib.	Defectus mere naturales	54. 69
antecedens, consequens et concomitans	43	Defensio	126. 129
Conscientiositas	36	violenta	127
Consensus	138. 139	Denegare auxilium	68. 69
praesumitur vel vere vel false	147	Derelictio	137
Conseruatio	126	Determinationes liberae	6. 8. 9. 44
Consilium	66	Diligentia	46
Consultatio	87	interne et externe debita	ib.
Contemptus	98	summa, minima et media	49
declaratus externus	ib.	Directura	163
Contestatio per Deum	154	Dissentus	135
Contractus	140	Dissimulatio	110
Contumelia	111	Dolus	47. 48. 50. 138
Conuentio	140	in foro externo	88
Conuicium	111	innocens	138
Corporis motus voluntarij	7	Dominium	157. 159
Corruptio moralis	99	eius acquisitio	160
Culpa	47. 48. 50	Donatio	164
fortuna	49	<b>E</b> mpaesta	36
externa	88	Euntio venditio	166
Curatio	136	Epicureus	36. 154
Custodia legum	16	Error vincibilis et invincibilis	99
<b>D</b> amnum	69	Error facti excusat, error iuris non excusat	38
naturae	ib.	Existimatio	94
quomodo infertur	89	simplex	ib.
in consequentiam veniens	91	intensiu	ib.
directum	91	Expromissor	168
emergens	ib.	Exsecratio	154
priuatium	ib.	Extorsio	57. 69
eius reparatio	137	<b>F</b> acti species	23
		Factum	38
			male

# I N D E X.

male	29	Imperans	81
eius existentia	38	Imperium	81, 83
error facti Impu-		Impotentia mere natu-	
tandi essentialis		ralis	54
et extra essentialis	38	Imputatio legis	22
moraliter difficile	40	facti	ib.
pro iniurioso et diui-		vera et falsa	34
sim imputatur	52	recta	ib.
iniustum	102	certa et incerta	ib.
eius confectaria	55	legis naturalis	16
Facta infamantia	97	in quibus rebus	102
Fallere aliquem	197	cum non habeat	42
Falsiloquium morale	107, 109	Inaequalitas	80
Fama	94	Induciae totales et par-	
Fauor	70	tiales	73
Fides	108	Infamis	97, 104
externa	ib.	Infamia personae	97, 98
pacifica	143	iuris	ib.
Gluten	154	naturalis	104
Fortuna	33	Inferior	82
Forum externum s. hu-		Infirmitas humana	54
manum	30, 31, 32	Ingratitudo	68
internum	ib.	Inimicus	124, 125
conscientiae	ib.	Iniuria	112
diuinum	ib.	Innocentia dicta	106
Honestum	23	Interrogare	108
Hostilitas	71	locus	114
eius actus	ib.	Involuntarium ortum ex	
mutua	125	voluntario habetur	
Hostis	123, 125	pro voluntario	52
iniustus	132	Iudex	85
Humanitas vulgaris	61	Iudex bonus	25
Hypothesis iuris pendet		Iura hypothetica	90
	50	temporaria	252
cessat	ib.	perpetua	ib.
Ignorantia vincibilis et		Iuris auctor	17
invincibilis	39	Iurisconsultus theoreti-	
		cus	16
		practicus	27
		bulens	

# I N D E X.

buleuticus	ib.	attributrix	7.
Iurisdictio	85	Iustus	99
Iuris mei exercitium	70	<b>L</b> æso	67. 68
Iurisperitia	26. 27	eius effectus	69
Iurisprudencia consulta- tua, vel consultatoria, vel buleutica	27	Latro	129
legislatoria s. no- mothetica	27	Latrocinia	123
Iurisscientia	26. 27	Lex latissime, late, stricte, strictius, strictissime	16
Ius latissime, late, stricte	17	physica	ib.
cogens	ib.	moralis	ib. 44
positiuum vniuersa- le diuinum	18	interna et externa	16
naturale cogens	66	positiua	ib.
belli et pacis	73	naturalis	ib.
cognoscendi caus- sam	85	socialis	ib.
humanius	97	dubia	24
inhumanus	ib.	eius notitia	25
iucundi naturale	112	eius applicatio	ib.
læsi in infinitum	116	eius occasio	ib.
connatum	117	illarum explicatio	26
praecedentiae	83	<b>Leges</b> positivæ diuinæ vniuersales et particu- lares	19
Ius dicere	85	naturales	28
Iusiurandum	154	diuinæ	ib.
Ius naturæ	I. 28	silent inter arma	133
eius utilitas	2	<b>Leguleius</b>	28
latissime, late, latius	19	<b>Legum studiosus</b>	29
strictè, strictius stri- ctissime	ib.	<b>Libelli satyrici</b>	111
eius principium ad- aequatum	20. 66	<b>Libertas externa respe-     ctu imperii</b>	84
Iustitia	71	naturalis	ib.
vniuersalis et parti- cularis	ib.	<b>Locatio conductio</b>	167
expletrix s. interna	72. 98	<b>Lucrum cessans</b>	91
		<b>Ludus</b>	114
		<b>M</b> ala sensus	72
		Mancipium	82
		<b>Mandans</b>	149
		<b>Mandatarius</b>	ib.

# I N D E X.

Mendacium necessit.	109	fictum	108
iocosum	ib.	Pacta continentia	140
Meritum actiue et passi-		realia	148
ue	29.33	verbalia	ib.
erga Deum	30	litteralia	ib.
Metus	9	consensualia	ib.
Moderamen inculpatae		condirionata	ib.
tutelae	134	de praesenti	ib.
Moralitas	29	de futuro	ib.
obiectiua	21	intalida	149
subiectiua	12	Palinodia	135
actionis liberae	28	Pars principalis	162
Munus	39	Pax externa	72.73
Necessitas	137	Peccatum	14
Negligentia	47	Pecunia	166
Negotiorum gestor	153	eius adulterat.	ib.
Nihilum morale	100	Perficete, quantum pot-	
Nolumus nil, nisi mala		es	14
nobis visa	19	Perfidia	143
Norma	16	Perfidus actualis et habi-	
Obedientia	82	tualis	153
Obligandus	8	Periurium	155
Obligatio	4.40	Permutatio	164.166
eius gradus	5.8	Petitio	23
imperfecta	60	Philosophia practica	1
naturalis externa	67	Pignus	167
Obtrudere	62	Possessio	145
Offensio	126.127	Praemium	29
Officium	39	Praeuentio	128.130
tuum fac taliter qua-		Pretium internum et ex-	
liter	50	ternum	165
Officia extorquenda	57.	eminens	166
58.61.62		Præmerens	33
humanitatis	60	Promissio	137
naturalia	67	valida	139
Onus	149	Protestatio	144.146
Pacificens dolose	150	Prudentia	17
Pactum	139	philosophica	19
onerofum	149	Pugna	72
permutatorium	165	Punitio	86
mutuum	167	Quae-	

# INDEX.

<b>Q</b> uaerere	108	ciuilis aduentitius	77
Quantum morale		ciuilis naturalis ib.	
et pacitium	79	publicus et priua-	
<b>R</b> abula	28	tus	ib.
Ratihabitio	147	limitatus et illima-	
Regis minoresnes	141	tatus	78
Religio externa	135	licentiae	86
Remedium mitius	14. 120	plenariae, securita-	
Remedia fini aequalia f.		tis	117
proportionata	119	<b>S</b> uum cuique	58
Remissio	191	<b>S</b> uumi alterius hominis	
Reparatio	92		68
damni	137	logicum	64
Repraesentatio	44	metaphysicum	ib.
Repressaliae	78	morale	ib.
Res fortunae	33	strictius, strictissime	ib.
merae fortunae	33	ib.	
profus ineuirabi-		connatus, et acqui-	
les	24. 41	situm	64
externae	156	<b>S</b> yllogismus imputato-	
communis	157	rius	23. 24
nullius	157. 159	<b>T</b> estamentum	163
abiectae. f. dereli-		<b>T</b> estimonium	106
ctae	161	falsum	110
deperditae	ib.	<b>T</b> urpe	13
fungibiles	167	<b>V</b> erfusia	43
<b>R</b> estitutio	94	<b>V</b> ictoria	173
<b>S</b> atisfactio	94	<b>V</b> indicatio	158
<b>S</b> ecuritas	119	<b>V</b> iolentia	72
<b>S</b> eruus	81	<b>V</b> irginitas	116
<b>S</b> eruus plenaria	81. 87	<b>V</b> irtus	24. 73
<b>S</b> illi	111	<b>V</b> itium	21. 53
<b>S</b> imulatio	110	<b>V</b> olitio efficax	53
<b>S</b> inceritas	144	<b>V</b> oluntas nil, nisi bona	
<b>S</b> pecies facti	22	vis. nobis	10
<b>S</b> pes	9	<b>V</b> ltio	118
<b>S</b> tatus hominis social.	76	<b>V</b> isura	164
naturalis	76. 79. 81. 87	<b>V</b> surpatio	65
ciuilis	76	<b>V</b> tilitas	15
socialis naturalis ib.			

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



**Österreichische Nationalbibliothek**



**+7174888107**





